



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

Triumphvs Sacer Sanctorvm

Halloix, Pierre

Antverpiæ, 1617

urn:nbn:de:hbz:466:1-44013



ITR
SS
1774
1812


9


Th. 2499.

K

11

17





TRIUMPHVS
SACER
SANCTORVM.

In quo ceremonię & antiquitates varię in
reliquiarũ SS. translationibus vsurpari
solite sparsim commemorantur.

Auctore R. P. PETRO HALLOIX
Societatis IESV.


Liber Collegij Societatis IESV Paderborna




ANTVERPIÆ,
Apud PETRUM & IOANNEM
BELLEROS.

1617.


Superiorum L. et missis.



3



AMPLISSIMO
MAGISTRATVI,
SAPIENTISSIMO
CONSILIO,
TOTIQUE VRBI DVACENSI
MVLTO PIENTISSIMÆ
PETRVS HALLOIX
E SOCIETATE IESV S.

 *VVM generosis ac præstan-
tibus viris nihil ferè quàm
ipsa suorum benefactorū con-
scientia atque recordatio accidere ju-
cundius possit, solitiq; sint viri pruden-
tes atque cordati, si quid aliquando res
suas letas aduersi perfricuerit, præteri-
ta sibi tempora reducere in memoriam,
ac velut in cōspectum præclara quæ iam
olim designauerint facinora ad præsen-
tis status solatium reuocare: propterea
mihî studio fuit viri amplissimi, sa-
pien-*

A 2

pietissimi, pietissimi, unum vestrum
in praesentiâ longè pulcherrimū factum
mā dare litteris, ut quotiescunq; varios
instabilis fortunæ cursus atque incertas
temporum vicissitudines nonnihil aspe-
rioris, ut sit, atque tristioris irritamenti
secum trahentes delinire, & solito sa-
pientum virorum consilio demitigare
volueritis; tum in promptu habeatis,
unde & ingratum mœrorem depellere,
& optatam consolationem adsciscere va-
leatis. Honorem inquā illum ac celebrem
triumphum, quem Divis Martyribus
TERENTIANO, eiusq; socio his
diebus proximis, flagrantissimo omnium
ordinum studio & propensissimā volun-
tate quantum potuistis maximum de-
creuistis atq; exhibuistis, vado memo-
ribus litteris consecratum. Ex quo haud
mihi dubium, quin magnam sitis, cū
eum relegetis, voluptatem percepturi,
tantoq; quā ceteri qui spectarunt tan-
tūm, non pararunt, majorem atq; sua-
uiorem; quanto plus est virtutum ama-
toribus, egregia ipsos patrare facinora,
quā

DEDICATORIA. S

quàm ab alijs patrata audire, quantoq;
 dulcior est gaudij fructus de suâ, quàm
 de alienâ laude decerptus. Quare licet
 illa solemnis pompa, apparatusq; omnis
 per urbem vestram pridem transierit,
 adeoq; esse desierit (quamuis dum ipsi
 Martyres erunt, præcipua superesse
 triumphi pars meritò censenda sit) ta-
 men scribendo nitari efficere, ut iam
 quoque omnibus in vicis ac plateis verè
 agi videatur, vestraq; in hoc cœlesti
 negotio cura, studium, opera exteris
 quoque urbibus ac provincijs clarâ lit-
 terarum luce innotescat: & ita quidem
 innotescat, ut idem ille actus à vobis
 triumphus, ab ijs, qui in hac scripta
 inciderint, plenius atque perfectius
 quàm si in urbe ipsâ Duacenâ tum cum
 ageretur, spectatores adfuissent, cerni
 cum otio & voluptate totum possit.
 Nam eorum sanè qui Duaci id tempo-
 ris, siue civium, siue aduenarū fuerunt,
 nemo talem legere locum potuit, unde
 omnia contueri attentius contempla-

rique exactius posset; nemo sic obire omnia, ut praesens interesse & cunctis simul frui oblectamentis quiret: quum eodem tempore ac momento Duaci alia, alia Atrebatum, in pagis utramque urbem interiungentibus alia, perquam laudabili conspiratione atque emulatione fierent atque adornarentur. Quae ego nunc omnia quantum & tueri oculis praesenti datum est, & auribus haurire absenti, (quippe per diligentem veritatis inquisitionem adhibitam) sic stylo exprimam, ut & ampla magnarum urbium interque iacentium pagorum spatia & grandium vicorum paratus & longa pompa ordinem exiguo in libello valeat, quisquis benignus lector volet, velut ex alta specula uno quasi intuitu contemplari. Haud tamen velim ququam existimare, quemadmodum pompam & apparatus, ita studium quoque omne, & totam civium pietatem brevibus hisce chartis esse comprehensam: quando satis constat multo plus in animis resedisse occultae pietatis quam foris
 expro-

expromptū sit, & plus voluntatis atque affectus ad hanc cohonestandam solemnitatem allatum, quàm esse potuerit copiarum atq; facultatis. Hoc siquidem est pia liberalitatis ac sanctæ munificentia proprium, longiùs semper affectu progredi, quàm censu: & cum agendi efficacia finita sit, animus infinitus, fines operibus suis circumscribere, non votis. Quibus si pares fortuna semper essent (nam quòd in hominis potestate non sint, extra calumniã esse debet) haud scio an urbs alia in orbe reperiri posset, quæ cum urbe Duaco, ut studijs artiũ, sic virtutum ornamentis in dies efflorescenti tam forma religiosa pietatis quàm genere omnimodi apparatus contenderet. Nam inuidiam quæ in res pulchras non vocata irrumpere solet, circumq; vicinas urbes studio periculose comparationis incendere, harum ipsarum urbium, honori potius Dei atque sanctorum, quàm propria laudi velificantium applausus Duaco datus, pede abactam procul esse iussit, atque à

triumpho, nisi triumphari vellet, face-
 sere. Præclarè enim sanè Insulenses in
 hoc pietatis genere & primi quidem
 versati sunt, præclarè & Tornacenses,
 & Atrebei & Vallencenates & Dio-
 nantini: Sed nec minus præclarè, ut
 nihil amplius dicam, (quamuis meritò
 possim) Catuacenses. Et ibi quidem il-
 la, & hîc ista, & alibi alia, prout vr-
 bium habitus & condicio civium fuit,
 placuerunt: Mibi vester, ô ciues pien-
 tissimi, singularis affectus atque incre-
 dibile studiû, quo in hoc sanctum opus
 incubuistis, mirificè ante omnia pla-
 cuit. Quippe qui & famâ de sacris cor-
 poribus tam avidis auribus exceperitis,
 & honoris in ipsam celebritatè impen-
 dendi curâ ac sollicitudinè tam promptè
 cupastis, & præstandi obsequij munus
 tam religiosè sustinueritis, ut nihil vobis,
 neq; eo nuntio lætius, neq; labore gra-
 tius, neq; impensis leuius, quàm publicè
 omnibus, quàm privatim singulis fuisse
 visum sit: ac proinde meritissimò vobis
 laus, nobis admiratio, sanctis gloria, vni-
 versis

DEDICATORIA. 9


uersis gaudiū ac latitia vbertim accreuerit. Quā ego sanè animi vestri hilaritate incitatus sū, ut vobis præcipuè, à quibus natū & profectū est, hoc quidquid est **TERENTIANI** triumpho ac simul exigui laboris mei consecrarem. Quamuis enim & alia in Collegium nostrum vestra merita, quibus ei difficillimis temporibus ope & sumtu non semel, sed sæpius subuenistis, satis per sese ad id faciendum me impellerent, tamen vel hoc vnum potissimè ut recentissimum, oblatā quæ expectabatur per opportunā occasione, maiorem in modum stimulauit. Neque enim est nostrum quæ cum voluptate acceperimus beneficia, ea vel obliuioni tradere, vel silētio tegere, vel tenuiter meminisse, sed continuis potius in totum bene merita reip. corpus officijs atq; laboribus, seu diurnis, seu nocturnis, pro virili nostrā compensare, non modò voce aut scripto commemorare. Quare hoc quale nunc cunque offero, parui prorsus præ magnis vestris me-

ritis

ritis duco ac velut tenuem dumtaxat,
sed tamen gratissimi in vos animi si-
gnificationem. Quam eâ velim fronte
suscipiatis, eoque minutulum hunc li-
bellum oculo & animo perlegatis, quo
& pietatis opera adamatis ut pij; &
laudes vestras sustinetis ut humani;
& debitorum qualemcumque gratiam
admittitis ut benigni. Triumphus e-
nim hic, ut à vobis, sic ad vos redit,
triumphus inquam, non modò quia res
triumphalis & voluptuosa ob pompam:
sed quia verum instar triumphi, ob
triumphantem in viua imagine subli-
mem in curru eleganti atque picturato
vnâ cum suo eiusdem palmae consorte
TERENTI ANVM. Quem ego
vobis triumphum amplissimi Senato-
res, atque sapientissimi Consiliarij, ad-
eoque urbi vniuersa fauentem, propi-
tium, Sospitatorem, opto, precor, voueo.
Ita valete & gaudete.

AD

 Ad Lectorem Catholicum.


 A semper fuit Christianorum inter sese vis amoris atque caritatis, ut qua ad verae fidei cultum & Dei Opt. Max. gloriam rariori quopiam facto velut clariori radio in lucem emicarent, ea non mutuis modo colloquijs privatisque sermonibus inter sese prouulgarent, sed litteris quoque & scriptis ad absentes suos fratres ac totis à se regionibus regnisq; dissitos ac diuisos, quadam sancte societatis ac germanitatis lege transmitterent. Quod cum ceteris in rebus factitari vulgo solitum acceperimus, tum praesertim in ijs quae ad martyrum illustres pugnas palmasque, eorumque cultum ac venerationem attinent, diligentius factum esse certo scimus & crebro legimus. Nimirum credebant vetustissimi illi & Christianam caritate plenissimi religionis nostrae duces tum se integra ac solida gaudia percepturos cum ea in eiusdem fidei socios semotam inuidiam deriuassent. Atque haec est causa cur & nos horum exempla imitati hodie manum stylo admouerimus, quo scilicet publice illius letitiae, quam multi mortales nuper Duaci in sanctissimorum Martyrum translatione maiorem in modum letati

su-

sumus, cōsortes eos faceremus quos talibus capi
honoris diuini in auditu uinculis minimè igno-
ramus. Videbis porro benigne lector, si attēdas,
tam ex Duacensis, quàm ex Atrebatensis po-
puli ad SS. Martyrum T E R E N T I A N I
eiusque socij venerādas reliquias unanimitati
consensu atque confluxu, quanta hodie in hisce
terris Christiana pietas religioq; vigeat, discesq;
eādē operā, quo ritu coli, quā ceremoniā
transferri, quā pompā deduci, quo per itinera
occursū honorari, quo plausu excipi, quo appa-
ratu seruari Diuorū corpora ac preciosē Mar-
tyrum exuuia soleant. Nihil enim in tantā
honorum effusione & ornamentorum magni-
ficentiā admissum esse ostendetur, quod non
antiquis prisce Ecclesie ritibus ac ceremonijs
maximè sit consentaneum. Quę cum leges, tum
memento & tu in partem gaudij, imò com-
modi atque fructus gaudendo & congratulando
accedere. Cū enim spiritu Dei omnes
de ieiunio agimur, non illa solum nostra sunt (inquit
7. mensis. B. Leo) quę ipsi gerimus, sed etiam illa
de quibus in aliorum actione gaudemus.
Vt si ars quepiam reperiat, quā certo furtiue
fascinationis genere aliena segetes in tuum fun-
dum cum iniuria Domini transferantur, ei
certè maleficio hec forma ratioq; caritatis ve-
lut è diametro sit opposita, quā tibi plurimum
commodare, nihil cuiquam incommodando,
&

*& aliena bona nullo veri possessoris detrimento
tui iuris facere valeas : nimirum si de secundis
ei successibus gratulere : si letis oculis copiarum
incrementa aspicias , si eorum largitorem Deum
laudes ac predices. Cum huiusmodi ergo aurea
celestisq; originis caritate ut ad spectaculum
exhibendi mox in hac velut arenam chartaceam
triumphi TERENCEIANI iam olim in
caelo acti , nunc autem in urbe Duacensi post
multa seculorum curricula felicibus ipsorum
Diuorum auspicijs repetiti , benignus adsis , te
inuito , atque ut pompam apparatusq; uni-
uersum exporrectam fronte inspicias , rogo. Ita
amicus Dei & Sanctorum sis & viuas.*



Ad Lectorem à fide extraneum
Prologus Galeatus.

VT rudis est atque inconsiderati ea modo
quae ante pedes sunt , interq; manus , at-
tendere , usque herere solis & immorari : ita
sapientis & circumspicere , ea quae accidere in fu-
turum possunt , multo ante prospicere , longeque
adhuc abstantibus incommodis certam animi
providentiam occurrere. Unde ego futurum pre-
cogitans , ut hic libellus (qui quanto minor ,
tanto iniuriae propior) in nonnullorum à fide
riti-

ritibusq; nostris extraneorum manus atque oculos, res novas, ut sit, ac recentes (qualis hæc est adhuc planè mustea) facile dispergendo deuoluatur, cautum ei maturè venio, ut ne quid à quoquam aliena vel regionis vel religionis detrimenti capiat. Quare quod illum magnorum Philosophia principum ducem atq; antesignanum Socratem, siue, ut Seneca Philosophus vere appellat, perpeffitium senem dixisse olim memini, cum à nescio quo impactum sibi in caput colaphum accepisset; Graue hoc in vitâ esse, quòd nescirent homines, quando in publicum sibi cum galeâ prodeundum foret. Hoc ego tum vel maximè cum de sanctorum reliquis sermo instituendus sit, locum habere arbitratus, propterea caput galeâ munire, & prologo uti galeato è re meâ indicavi. Amo enim quidem patientiam Socratis, sed amplector providentiam, quâ & ipsum usurum fuisse haud dubito, si quid tale quale euenit, sibi euenturû presensisset. Merito itaque teneram huius libelli frontem galeâ premo, & omnem vestrarum, ô B. TERENTIANE & tu quisquis es eiusdem Martyrii consors, ignorete in terris, scripte in celis, omnem inquam vestrarum reliquiarum honorem contra quicumq; impugnare voluerit breuiter strictimq; propugno. Quis autem impugnare ausus? Gentilisme, & (ut loquitur Tertullianus)

AD LECTOREM. 15

nus) caca vivens? nempe qui & suorum ossa atque cineres sepe relegerit, studiosè tumularit, delubro: arâ, flamine instruxerit, ornarit, consecravit. Iudæus? qui Prophetarum sepulcra curiosè fabricavit, religiosè honoravit, sollicitè conservavit. Hereticus? qui non corpora tantùm, sed & vestes atque vestigia, imò umbras ipsas sanctorum salutareis egris fuisse in scripturis sacris (nam se alijs fere oppugnari armis non sinit) sepe numero legerit. Nisi fortè nobis ad verum Deum honores sanctorum referentibus non licebit, quod istorum nonnullis immuta simulacra, alijs in falsos atque fictos & Deos non Deos licuit. Abstinebunt sanè gentiles nostra laceffere, qui vestigium Herculis, ossa Euripidis, chlamydem Alexandri magni, infinita alia suorum aut regum aut maiorum cimelia in precio & honore habuerunt. Cauebunt Iudæi Sanctorum insultare corporibus, qui corpus Moysi Angelicis manibus sepultum, qui pallio Helie scissas ab Eliseo aquas, qui ossum Elisei attactis mortuum vite redditum meminerunt. Sed Heretici quidnam? Vereor sanè, ut qui à nullis unquam sacris profanas manus temperarunt, ne his quidem, si possint, temperent. Quod tamen & in his & in illis minus mirarer, nisi & isti imaginem Calvinii de collo suspendissent, & hi capacem Lutheri scyphum, arguat amque cit haram & alio-

rum alia palati sensuumq; irritamenta in delicijs & Deorum loco perinde atque ventrem habuissent. At enim quæ ratio res inanimas & orba sensu corpora honore & amore dignandi? qui fons? quæ origo moris huius atque consuetudinis? Si ex amore & admiratione dixerò, ne unus quidem, ut opinor, vel Philosophorum contradixerit vel barbarorum: Si sanctitatem & Dei amicitiam allegaro, iam omnes bonos mihi astipulatores fecero. Utrumq; sanè dicatur. Nam hoc in primis naturæ atque sanguinis affectus in amore exprimit, ut quos olim caros habuerimus, horum monumenta & memorias (ut ille $\mu\nu\eta\rho\delta\sigma\upsilon\nu\upsilon\nu$ sui sodalis) magnè pendamus, seruemus, amplectamur, revisamus identidem, atque exosculemur. Cuius rei exempla si quis requirat, cum alij autores multum Poëta ipsi & ciendorum & exprimendorum affectuum potentissimi abundè gentilibus suis suppeditauerint: Ceteris usus ipse mosque quotidianus. Certè de M. Antonino Imp. (ut ab uno discantur omnes) ita Iulius Capitolinus: Tantum autem honoris, inquit, magistris suis detulit, ut imagines eorum aureas in larario haberet, ac sepulcra eorum aditu, hostijs, floribus semper honoraret. Possem plura huius generis, si necesse foret, commemorare: sed quia vis amoris sat nota est, hoc uno sum contentus. Nam ad virtutis admirationem, amo-

ris germanam malo adhaerescere. Hanc propter Ponticus ille Mithridates Phrygiam ingressus, Alexandri diuersorium requisit, ibiq; boni ominis pretextu pernoctauit. Hanc propter Pompeius magnus suum de illo Mithridate triumphum chlamyde indutus Alexandri peragere voluit. Hanc propter eiusdem Alexandri corpus Augustus Imperator videre unum & solum concupuit, alia noluit. Hanc propter Vibius Rufus homo patritius sellam Iulij Caesaris, in qua sedere is solitus erat, quia iam ipse possideret, glorie suae ansam, vane quidem, sed tamen fecit. Hanc propter Caius Caligula Imperator Alexandri item magni thoracem e conditorio eius requisitum appetitu laudis gestauit. In quibus sane omnibus non admirationis significationem, sed amoris duntaxat errorem reprehendo, & si vera in ijs quos colebant virtus fuisset, non umbra virtutis, laudarem magis factum, quam reprehederem. Sed ad sepulcra prophetarum atque Martyrum, in quibus non dubia virtus & Dei amor fuit, quis erit tam excors, tamq; impius, qui non pias peregrinantium atque inibi diuersantium affectiones probet? Quis non eorum corpora, vestes, utensilia omnia, adeoq; instrumenta & signa martyrij atque virtutis, tanti, quanti olim maiores nostri fecerunt, pendat atque aestimet? Nam plus profecto rationis fuit, ut aut

*D. Hiero. S. Antonius Diui Pauli Eremita palmatam
l. 3. epist. vestem, aut D. Athanasius Sancti Antonij
in vita S. melotem indueret, quam vel Augustus ille
Paul. E- nihil, præter appellationem, augustum habens,
remit. Alexandri homicida & temulenti thoracem,
vel Pompeius temerarij eiusdem & delicijs
fracti adolescentis chlamydem sibi ad trium-
phi magnificentiam circummyceret. Et plus causse
inuenit Ecclesia Catholica, quam obrem Diui
Petri cathedram, seu Romanam velis, seu An-
tiochenam, custodiret & in auctoritate esse fa-
ceret, quam stultus ille Rufus aut Iulij Cesaris
omnium mortalium ambitiosissimi sellam, aut
sessionem ipse suam extolleret. Quis porro ad-
huc est repertus tam impos mentis, & animi
vacuus, ut vitio verteret Magno illi Con-
stantino Crucem illam cælitus ostensam, ca-
stris suis prelatam, militum robur, victo-
riae causam, triumphi materiam. Ego vero
Cedrenus ne Theodosij quidem factum aut irriserim,
in Theo- aut improbarim, imò eternam potius memoriam
dosio. dignum existimarim, qui contra Eugenium
tyrannum mouens, non modo imagini Herculis,
quam iste castris præferebat suis, veneranda
Crucis signum opponi ac præportari iussit; sed
etiam Iohannis Monachi viri sanctissimi ba-
culum pro hastâ, epomidem pro galeâ suscepit
atque induit. Ac ne huius facti aut milites pu-
deret, aut principem poeniteret, Eugenij exer-
citum*

citum uniuersum deleuit, ipsum Eugenium
 uinum cepit. Neque sanè diffiderim, si quando
 cum hostibus fidei veniendum ad manus fue-
 rit, vestris ô T E R E N T I A N E, & tu eius
 consors Dei amice, minimè, inquane, diffide-
 rim vestris, quæ studiosè asseruamus ac piè co-
 limus, antelatis in acie pignoribus totas ho-
 stium copias sterni ac profligari posse. Adeo illa
 pro bonis ancilibus duco. Sed ut orationis filum
 recolligam, amore & admiratione ad ossa san-
 ctorum Martyrum querenda & colenda pulsi
 sumus: amore quem à Deo & propter Deum
 hausimus: admiratione quam ex eorū inuicto
 animi robore ac fortitudine concepimus. Cuius
 quidem rei satis id signi esse potest, quod nullo
 nobis alio, quàm fusi pro Christo sanguinis ti-
 tulo noti sint. Nam alterius tantum nomen
 scimus, alterius ne nomen quidem: sed fuisse
 martyres, tum ipsum S. Priscilla cœmeterium
 in quo ferè tales condebantur, tum certissima
 sepulcris antiquitùs apponi solita martyrii si-
 gna atque indicia summo Ecclesie Patri nota
 atque approbata (de quibus paulo postea fu-
 sius) fidem fecerunt. Itaq; & sanctitatis &
 amicitie cum Deo respectu, eos colimus &
 veneramur, nec eos tantum, sed & corpora
 eorum, & ossa, & cineres & capsas, quorum
 omnium contactu nonnulla sanctitudo (ut
 ante nos maximi & sanctissimi Patres tam

Græci quàm Latini, ut post videbitur, docuerunt) velut è perenni quodam gratiarum fonte ubertim emanat. Nam sanitarum quidem miracula ad sanctorum tumulos & aras, tot & tanta omnibus sæculis patrata sunt, ut post ecclesiasticos scriptores, qui his abundant, & presertim D. Augustinum de ciuitate Dei, & Gregorium Turonensem de gloria martyrum, qui toti fere in eo sunt, videri putidum possit de his fusiùs agere velle. De se quidem testis est Prudentius D. Hieronymo equalis, ad aram, ubi reliquie erant S. Hippolyti martyris, quoties orauerit, toties animi corporisque opem retulisse. Sic enim scribit:

Mira loci pietas & prompta precatibus ara
 Spes hominum placidam prosperitate iuuat.
 Hic corruptelis animique & corporis æger
 Oraui quoties stratus, opem merui.

Denique nostram sententiam (sic loquitur de S. Babylæ mart. reliquijs S. Chrysostomus) abundè probant, quæ quotidiana eduntur à martyribus miracula.

In natali
SS. Mart.
Nazarij
& Celsi.

Quæ cum ita sint (libet enim verbis D. Ambrosij prologum terminare) honoramus beatos martyres principes fidei, intercessores mundi, præcones regni, coheredes Dei. Quod si dicas mihi, quid honoras in in carne iam resolutam atque consumptam, de quâ nulla iam Deo cura est? Et ubi est illud

illud, carissimi, inquit, quod ipsa veritas loquitur per prophetam? Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Et iterum: Mihi autem valde honorificandi sunt amici tui Deus. Honorare debemus seruos Dei, quanto magis amicos Dei? De quibus alio loco dicitur: Dominus custodit omnia ossa eorum, & vnum ex his non conteretur. Honoro ergo in carne martyris, exceptas Christi nomine cicatrices: honoro viuentis memoriam perennitate virtutis: honoro per confessionē Domini sacros cineres: honoro in cineribus semina æternitatis: honoro corpus quod mihi Dominū meū ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles, quod reuerentur & dæmones? quod & afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulcro. Honoro itaque corpus, quod Christum honorauit in gladio, quod cum Christo regnabit in cælo. *Ita finit sermonem suum S. Ambrosius, ita & ego prologum meum.*

Nunc pro Christianis, etsi illud ultimū perquam efficax, tamen & alia maximorum Ecclesie Patrum colligo testimonia.

Sanctorum Patrum de Sacris Reliquijs illustria testimonia.

IN ore duorum vel trium testium (inquit viuæ & diuinæ vocis oraculum) stabit omne verbum. Ecce itaque, ne auari videamur, testes ternos, partim Græcos, partim Latinos, & optimæ vtrosque fidei, ne quis, quod ossa honoremus, ne quis, quod cineres, ne quis, quod caplas, reprehendat.

D. Basilij Magni in psal. 117.

Νυνὶ ἡ ὁ ἀψάμεθα ὁσέων Μάρτυρα λαμβάνει πινὰ μετρίαν ἀγιασμῶ ἐκ τῆς τῶ σώματι παρεδρευσης χάριτος.

Nunc verò Martyris ossa qui attigerit, quandam ex insidente corpori gratiâ participationem suscipit sanctitatis.

*D. Gregorij Nazianzeni orat.
3. aduersus Iulianum.*

Ὡν (Μαρτύρων) ἢ τὰ σώματα μόνον ἴσα δύνανται ταῖς ἀγίαις ψυχαῖς, ἢ ἐπαφώμεθα ἢ πινόμεθα. ὧν ἢ ραινίδες αἱμάτων μόνον ἢ μικρῆς συμβολῆς πάντες ἴσα δρῶσι τοῖς σώμασι.

Quo-

Quorum (martyrum) vel sola corpora idem possunt, quod sanctæ animæ, siue tangantur, siue honorentur. Quorum vel solæ sanguinis guttæ atque exigua passionis signa idem efficiunt quod corpora.

D. Ioannis Chrysostomi de SS.

Bernice & Prosdoce.

Μετὰ τῆς τῶν πυρὸς προσώσωμῶν αὐτῶν τοῖς λειψάνοις. Συμπλακῶμῶν αὐτῶν ταῖς θήκαις. Δύνανται γὰρ καὶ θῆκαι μαρτύρων πολλὴν ἔχειν δύναμιν, ὡσπερὲν καὶ τὰ ὅσα τῶν μαρτύρων πολλὴν ἔχει τὴν ἰσχύον.

Cum hoc igitur ardore ipsarum reliquijs accidamus : complectamur earum capsas. Possunt enim & capsæ Martyrum multam habere virtutem, vti & ossa Martyrum multam vim habent.

D. Ambrosij serm. de SS. Nazario & Celso.

Hæc est sanctorum Martyrum gloria, quorum, etsi per vniuersum mundum seminetur in cineribus portio, manet tamen integra in virtutibus plenitudo.

D. Hieronymi Epist. 53. aduersus vigilantium.

Honoramus reliquias Martyrum, vt

eum, cuius sunt martyres adoremus. Honoramus seruos, vt honor seruorum redundet ad dominum, qui ait: Qui vos suscipit, me suscipit.

D. Augustini serm. 29. de Sanctis.

Si inanis quædam species vacuæ imaginis habere in se potuit vim salutis, quanto magis de corpore meruerunt attrahere salubritatem ferreo pondere sacris impressa membris vincula passionis? Si ad præsidia supplicantium tam potens fuit ante martyrium, quanto magis efficax est post triumphum?

Agit porro in his epicherematis D. Augustinus de virtute vinculorum S. Petri, comparatione eiusdem vmbre: & de efficaciam eiusdem Apostoli iam triumphantis, ex respectu eiusdem adhuc militantis.

Libelli Diuisio.

IACTIS scribendæ narrationis fundamentis videor & meo, & lectoris ipsius commodo facturus, si libellum in capita certa diuisero. Ita enim & ordo constabit, & res suis locis dicentur. Sint igitur hæc capita :

Cap. 1.

Dei Opt. Max. in reuelandis placito sibi tempore Sanctorum suorum corporibus œconomia.

Cap. 2.

Locus vbi inuenta SS. Terentiani & Socij martyrum corpora.

Cap. 3.

Notæ quibus eorundem sanctitas & martyrium agnita sunt.

Cap. 4.

SS. Terentiani & Socij corporum impetratio.

Cap. 5.

Eorundem ab vrbe Româ in Belgium deportatio, exploratio, approbatio.

Cap. 6.

Apparatus ad translationem Atrebatu Duacum.

Cap. 7.

SS. reliquiarum in Collegij Atrebatensis sacellum expositio & celebritas.

Cap. 8.

Earundem à sacello ad portam Atrebatensem deportatio, supplicatio, comitatus.

Cap. 9.

A portâ vrbis Atrebatensis vsque in fines Catuacenos iter, & pagorum occurfus.

Cap. 10.

Ciuum Duacensium in extremis suis finibus occurfus, & in urbem honorifica deductio.

Cap. 11.

Cap. 11.

A portâ Duacenâ & primo SS. corporum tabernaculo ad D. Amati processio.

Cap. 12.

Statio in D. Amati & vigiliæ.

Cap. 13.

A D. Amati ad templum Societatis Iesu institutæ supplicationis ordo & series.

Cap. 14.

Statio apud RR. PP. Dominicanos, & inde ad forum vsque progressus.

Cap. 15.

Transitus à foro ad D. Petri templum.

Cap. 16.

A D. Petri ad plateam Cuniculorum appellatam progressio.

Cap. 17.

Platea Cuniculorum & vici noui pagina, & Musæ.

Cap. 18.

Templi Societatis Iesu, eiusque ornatus, & celebritatis descriptio.

Cap. 19.

Epuli à Magistratu dati lætitia, & docta hilaritas.

Cap. 20.

Totius triumphii & celebritatis conclusio.

Cap. 21.

Venerationis SS. Martyrum fructus.

Adiecta sunt in grati animi testimonium, pro singulis hominum ordinibus qui hanc ornarunt solemnitatem ad SS. Martyres Terentianum & Socium vota heroïca.

CAPVT



CAPVT PRIMVM.

*Dei Opt. Max. In reuelandis statuto
tempore Martyrum suorum corpori-
bus, œconomia.*



N eam rem quæ nunc a-
genda est, videor mihi non
alienâ viâ ingressurus, si du-
cto à sacris litteris exor-
dio hanc admodum con-
sentaneam proposito meo
sententiam velut cœlitus & sponte obla-
tam prætendero. *Ossa eorum pullulent de lo-
co suo, & nomen eorum permaneat in aternũ.*
Nam videtur sanè sapientissimus ille &
rerum & temporum moderator Deus,
posteaquam reuolutis tot retrò sæculis
iacere ac quiescere Sanctorum Martyrum
Terentiani, eiusque socij sacra corpora in
abstrusis ac silentibus locis ignota mundo
nostro fuit, nunc demum salutari prorsus
Prouinciæ Belgicæ & vrbi præsertim
Duacensi, consilio, dictatorium illud ver-
bum

*Ecclesia-
stici 46.*

bum edixisse: *Ossa eorum pululent de loco suo*: mandasse inquam videtur, vt ossa inuictorum Athletarum, qui pro rege suo vitam posuissent, tandem de loco suo pulularent, & curru criūphali per Atrebaeos & Catuacenos fines in præparatam sibi, longéq; ornatissimam Collegij Societatis I E S V ædem, maximo mistorum populorum applausu inueherentur, tantóq; altiore & lucidior nunc aram obtinerent, quanto depressiore adhuc & obscuriore in Italo solo & locis subterraneis sedem occupassent. Nã quòd hætenus quidem latuerint, nunc vero in apertum venerint, non alij sanè fato adscribendum est, quàm quòd ipsa omnia intuentis, suauitèrque disponentis Dei voluntas liberè & ab æterno effata est. Quod enim de B. Stephani corpore D. Augustinus, idem ego de hisce nostris sacris pignoribus dicere habeo, nempe tanto tempore eorum corpora latuisse, sed cū Deus voluit, tum processisse. Quæ ratio, cū in omnibus, quæ seriùs, quàm oporteret, fieri, factæue esse existimantur, locum habeat, satisque ipsa per se ad defensionem valeat; potest tamen hîc, vt & plerisque alijs in rebus, probabilis quæpiam & conueniens ratio, cur ita factum sit, inueniri.

*Serm 91.
Ex nouis.*

niri : Nempe vetera illa Romanæ ditio-
nis cœmeteria, in quibus hæc reperta sunt
corpora, noluisse Deum Opt. Max. tan-
quam optimum dispensatorem, semel si-
mulque antiquitus exhauriri : tum quòd
futurum esset, vt omnibus depositis cœ-
lestibus inde sublatis, neque pietas pris-
corum Christianorum in fratribus suis,
licet cum maximo suo discrimine, sepe-
liendis cognosceretur, neque fortissimo-
rum fidei Confessorum in istiusmodi sub-
terraneis specubus cum Deo, quàm in
magnis Regum Imperatorumue palatijs
cum mundo viuere malentium, digna
Christo constantia resciretur. Si enim nul-
la in istis latebris reseruarentur preciosa
Diuorum monumenta, tum fortè conge-
stis in soli vacuitatem ryderibus, & eo-
rum locorum sanctitas interiret, & omnis
memoria prisca illius sanctitatis sensim
euanesceret. Nec est sanè frugi pruden-
tisque œconomi, omnes simul thesauros,
tametsi in Reip. bonum, temerè profun-
dere. Extremis enim aliquid, difficillimis-
que temporibus reseruandum est. Quæ
ipsa quoque causa est, quamobrem san-
ctissimi Pontifices rarò & magnis dumta-
xat de causis in istas omni auro preciosio-
res fodinas aditum patefecerint, & cum
pate-

patefecerint, tamen modum eruendis thesauris præfiniuerint. Adde verò quod cum inuentiones sanctarum Reliquiarum earumdemque translationes, vti & quorundam in Ecclesiâ mysteriorum aut solemnitatum enuntiationes non absque diuino nutu fiant, tum proinde fieri, cum vel magna Ecclesiæ utilitas necessitasue cogat vel Præfectorum populis tam Ecclesiasticorum, quam politicorum innocentia, virtusque postulet, vel denique ipsius multitudinis egregia pietas ac deuotio exigat. Sic olim S. Helenæ Magni Constantini matri post tria demum secula, quibus illa sanctæ Crucis viuifica arbor in terræ visceribus delituerat, tandem diuinitus iniecta mens eius, vbicumq; esset, perquirendæ, atque vnâ etiam ratio inueniendæ, imò & ipsa Crux clarissimis miraculis agnita, & velut in manus ei tradita. Sic Valentiniano secundo & Theodosio magno rerum dominis, sanctorum Geruasij & Protasij pretiosissimæ exuuiæ duobus minimum occultæ seculis lucem viderunt, cum scilicet dominus Deus fidei suo Ambrosio ad aliquod ipsius & populi Christiani solatiū, quos Iustina Imperatrix studens Arianis persequebatur, eas reuelauit. De quibus
ita

ita D. August: *Tunc, inquit, memorato ant-* Lib. 9.
tistiti tuo (Ambrosio) per visum aperuisti, quo Confess.
loco laterent Martyrum corpora Protasij & 67.
Gernasij; quæ per tot annos incorrupta in the-
sauro secreti tui recondideras, unde opportunè
promeres, ad coërcendam rabiem fœmineam,
sed regiam. Cùm enim propalata & effossa di-
gno cum honore transferrentur ad Ambrosia-
nam basilicam, non solùm quos immundi ve-
xabant spiritus, confessis eisdem demonibus
sanabantur: verùm etiam quidam plures
annos cœcus ciuis, ciuitatiq̃ue notissimus,
cùm populi tumultuantis letitiæ causam que-
sisset atque audisset, exiuit, eoq̃ue se vt
duceret, suum ducem rogauit. Quò per-
ductus impetrauit, admitti vt sudario tan-
geret feretrum pretiosæ in conspectu tuo
mortis sanctorum tuorum. Quod ubi fecit
& admouit oculis, confestim aperti sunt.
 Ita D. Augustinus. Vnde mihi valde
 mirari venit in mentem nationis hære-
 ticorum in seipso testatum ac pernicia-
 le odium, qui si aut oculorum cæcita-
 te aut alio corporis vitio, quod Marty-
 rum inuocatione sanari possit, labora-
 uerint, tamen cæci & manci remanere
 malint, quàm Martyres colere: & Caluino
 aut Lutherò, quàm D. Augustino vel Am-
 brosio credere. Sic, vt propositum repe-
 tamus

*Sozom.
l. 7. c. ult.*

*Ioan. 3.
Actor. 3.*

*Baron.
Anno
Christi
440.*

tamus eodem Theodosio regnante veterum prophetarum Micheæ & Abacuc corpora Zebenno Eleutheropoleos Episcopo per visum in somnis ostensa sunt: nempe cum annos circiter mille latuissent. Sic imperantibus eiusdem Theodosij filijs Honorio & Theodosio iuniore, Luciano presbytero sancti Stephani proto-martyris reliquæ unâ cum Gamalielis & Nicodemi (de quibus in Euangelio & actis Apostolorum) & Abibi ipsius Gamalielis filij, ab ipsomet Gamaliele reuelatæ & postmodum Ierosolymam magnâ pompâ translatae sunt. Sic iisdem iunioris Theodosij cum Valentiniano tertio regnantis temporibus, cum fames, pestilentia, terræ motus, tria ingentia mala mundum premerent, nec deessent qui etiam tum sanctissimam Trinitatem impugnarent, ecce puer innocens immani ventorum turbine è medio raptus in aëra, rursusq; per eandem viam redditus aperuit Patriarchæ & Imperatori & vniuerso populo celeberrimum illud trifagion, quod ipse ab angelis didicerat, pro tantarum amolitione pestium esse concinendum: Sanctus Deus, Sæctus fortis, Sæctus immortalis, miserere nostri. Quo facto terribilis ille terræ motus, qui sex ipsos menses sauierat, & plurimas

rimas

rimas vrbes vnà cum muris Constantino-
 politanis eiusque quinquagenis turribus
 solo afflixerat, conquieuit. Ita puris pijsq;
 animis sua Deus secreta detegit. Ita tem-
 pora & articuli temporum, quibus ema-
 nent in mortales diuina sacris in rebus
 beneficia, in Creatoris nutu, qui plurimū
 puritate & innocentia sanctarum anima-
 rum delectatur, sita sunt. Quibus seu vi-
 ris seu fœminis (nec est enim apud Deum
 generis sexusue discrimen) abscondita in-
 terdum mysteria quā vigilantibus, quā
 sopitis velut tenui leuis auræ susurro, aut
 claræ lucis radio ingerit. Nam vt verè
 Prudentius :

*Quem rara culpa morum
 Non polluit frequenter,
 Hunc lux serena vibrans
 Res edocet lateentes.*

Quàm nobilis & quantæ nunc in Ec-
 clesiâ est auctoritatis & pretij illa venera-
 bilis sacramenti octonis diebus per omnes
 annos celebrata solēnitas? At serò tamen
 mundo data & vni ab omnibus vitijs re-
 motissimæ atque à terrenis negotijs defe-
 catissimæ animæ, nempe virgini cuidam in
 terra Leodiēsi singulari atque eximiâ san-
 ctitate Christo sponso vnicè ancillanti &
 ad æterna totis viribus anhelanti, *Juliana*

C

ei

ei nomen erat, primùm reuelata est pérq;
 eam Iacobo de Trevis ecclesiæ Leodiensis
 Archidiacono cognita & ab eodem post-
 modum pontifice maximo & Urbano
 appellato in vniuersam introducta Eccle-
 siam & nunc præcipuas inter festiuitates
 collocata. Quid quod Pulcheriæ Impera-
 trici pientissimæ tum alia multa in somnis
 ostensa diuinitus, tum à sancto Thyrso
 Martyre quærendorū Quadraginta Mar-
 tyrū qui diutissimè, vbinam essent, ignoti
 fuerunt, cura iniecta est, nec nisi inuentis
 eorum corporibus, deposita? Deus autem,
 vt scribit Sozomenus, hunc locum ita ob-
 scurari & tantum temporis elabi de indu-
 striâ voluit, vt & Martyrum inuentionem
 & inuentricis pietatem admirabiliorem
 illustrioremque redderet. Erat autem Im-
 peratoris soror Pulcheria regina, cui ter-
 tiò apparens admirandus ille Thyrsus sub
 terrâ conditos indicauit, atque ad se, vt
 eiusdem loci & honoris participes fieret,
 trāsferri iussit. Quin simul ipsi quoq; Qua-
 draginta Martyres splendidis sagis induti
 semet ei conspicuos præbuerunt. Sexcen-
 ta huius generis adferri possent, vt verè
 exclamare cum Prudentio libeat.

l. 9. c. 2.

*O quàm profunda iustis
 Arcana per soporem*

Ape

*Aperit tuenda Christus
Quàm clara, quàm tacenda!*

Hæc autem eò spectant, vt ostendam
cælestis prorsus fuisse consilij, vt tamdiu
ista SS. Martyrum Terentiani & eius So-
cij corpora, quibus nunc Dei beneficio
vrbs Duacena ijs dignissima potitur, ab-
scondita in suis tumulis & latebris reside-
rent, donec & illa perquirentium ardens
studium, & exposcentium virtus ac fer-
uor, & eius qui recepturus erat populi in-
credibilis pietas atque zelus Deo & supe-
ris omnibus cõplaceret. Hoc enim verissi-
mè affirmare audeo (nam affirmanti tota
vrbs libenter subscribet) nullam vnquam
ab vrbe Duacensi conditâ neque præpa-
rationem maiorẽ, neque ornatum elegan-
tiorẽ, neque supplicationem digniorem
in Catuacorum finibus, quàm in hac vnâ
Terentiani triumpho solemnitate spectata
sit, aut visam aliquando, aut ab alijs audi-
tam, aut denique in memorijs lectam esse.
Cuius gloriationis laus omnis Deo pri-
mùm, deinde Terentiano Terentianique
Socio, & si secundum cælestes locus est
terrenis, vestro ciues Duacenses ardori ac
pietati accepta referenda est.

C 2

CAPUT

CAPVT SECVNDVM.

*Locus vbi inuenta sanctorum TERENTIANI
& Socij Martyrum Corpora.*



T in hospitibus, sic in muneribus accipiendis prona & prima interrogatio: vnde gentium? vnde terrarum? & in ijs præsertim quæ rarò audita, quæ nunquam visa. Sic ego in hisce pretiosis sanctarum animarum exuijs futurum existimaui, vt vbi inuentæ, vnde acceptæ, abs me, nisi occuparem, quæreretur. Itaque è Romano solo hi nostri Martyres siue potius eorum ossa iussu Domini pullularunt atque in fertili taliùm pignorum cœmeterio, quod à S. Priscillâ habere nomen gloriatur, inuenta sunt, atque inde religiosis & sacerdotalibus manibus effossa, excepta, educta accepimus. Hoc est primum. De loci autem ipsius ingenio, situ, varietate, etsi aliqua à nōnullis Patrum nostrorum dicta sciam, tamen etiamnum paulò amplius à me dicendum arbitror, tum quod eorum scripta non in omnium forte, qui hæc nostra lecturi sunt, manus venerint; tum etiam quod alieno, hoc est gallico sermone vulgata sint, tum postremò vt res tota vno velut aspectu nosci possit,
neque

neque dispersim ac plurifariam sit requirenda. Quamuis & multa quoque ab ijs prætermilla è veteribus auctoribus desumpserim, quæ cum ijs quæ hodie narrantur, consentire ostensurus sum. Hoc ergo ante omnia in animis defigendum est, cum de antiquis in agro Romano cœmeterijs, quæ tribus primis seculis sanctorum corpora velut fideli hospitio exceperunt, agitur, nequaquã similia hodiernis cœmeterijs, quæ ædibus sacris adiacent suntq; subdualia, animo fingenda esse (nec enim tum ferè in propatulo templa erant, neque persecutionum continua tempestas, quæ ad Constantinum vsque magnum sæuijt, eiusmodi loca permisisset) verum subterraneos recessus, velut ingentes quasdam cellas vinarias, quæ processu temporum auctæ sunt & in ædículas, in porticus, in ambulationes diuisæ, vbi non tantum qui Christianè obdormierant, sepeliri, sed etiam qui propter Christum infestabantur, abscondi, & qui sacris interesse aut operari vellent, alijsuè pietatis Christianæ exercitijs intendere in animo haberent, si non planè tutò, certè minori cū periculo versari possent. Tales enim sibi latebras & ipsos quoq; Iudæos, quum ad necem genus suum quæreretur;

sub humū effodisse Dio in Adriano est auctor. Sed ad Romam, vbi sedes imperij & procella in Christianos atrocior, plurima in primis fuere eiusmodi sub nomine cœmeteriorū profugia. Nam ad quadraginta tria cœmeteria diligentissimus terræ Italiæ peruestigator Onuphrius Panuinius in libello de cœmeterijs ex antiquorum scriptis, & secundum illum ipse etiã Cardinalis Baronius in suis annalibus recollegit, quæ ab utroq; iisdem ferè nominibus, etsi non nihil inuerso ordine numeratur: quorum vetustissimum meritò recensetur ab Onuphrio cœmeterium Ostrianum in viâ Salariâ tertio ab vrbe lapide, siquidem in eo B. Petrus baptizasse dicitur. De quo Protonotarus S. R. E. in actis Liberij Papæ cap. iij. sic ait: *Erat non longè à cœmeterio Nouella ad tertium milliariū ab vrbe viâ salariâ cœmeterium Ostrianū, vbi Petrus Apostolus baptizauit.* Inter nobilissima verò & celeberrima fuerunt hæc tria: Cœmeterium Vaticanū, cœmeteriū Calixti, & cœmeterium Priscillæ. Nam in Vaticano plurima antiquissimorū pōtificū corpora sita sunt, S. Petri Apostolorum coryphæi & horum eius successorū, Lini, Cleti, Anacleti, Euaristi, Xisti, Telesphori, Hyginij, Pij, Eleutherij, Victoris & aliorū. In secūdo autem
quod

Tom. 2.

I. Tom.
Concil.

quod Calixti dicitur, horū cōdita fuerunt: Aniceti, Soteris, Pontiani, Anteri, Fabiani, Cornelij, Lucij, Stephani, Sixti ij. Dionysij, Eutychiani, Caij, Eusebij, Melchiadis sanctissimorum Pontificum, præter alios quoq; non paucos Confessores non pontifices. In nostro autem de quo hîc speciatim agitur, hoc est in Cœmeterio S. Priscillæ quinam? An & ipsum claros atque illustres aliquos habuit? Habuit sanè tam viros quàm fæminas perillustri atque eximiâ vitæ sanctimoniâ clarissimos. Nam ibi sepultus est S. Marcellinus Papa & Martyr, & cum eo tres eius in eodem cermine & victoriâ focij, Claudius, Quirinus, & Antoninus presbyteri, quorū corpora cū triginta sex diebus tyranni iussu insepulta iacuissent, tandem Marcellus presbyter noctu collegit, & vnà cum presbyteris & diaconibus viâ salariâ (vt scribit Anastasius bibliothecarius) in cœmeterio Priscillæ in cubiculo claro cum hymnis sepeliuit. Ibidem sepultus est S. Marcellus item Papa & Martyr, & eiusdem Marcellini successor, quem Maxentius Christianorum acerrimus persecutor stabulo iumentorum, tam vili scilicet atque seruili seruitio primum ecclesiæ patrem addixit: quo in seruitio nudus tantūmque cilicio

amictus, vitā & vitæ ærumnas felici claufulâ terminauit. Eius ergo corpus B. Lucina eximiæ virtutis ac fidei matrona & honore viduitatis annos vnde-viginti intemeratè perfuncta in eodem S. Priscillæ Cœmeterio XVII. Kal. Febr. tumulauit, quæ & domum propriam eiusdem B. Marcelli titulum fecit, hymnisque & precationibus die noctūque fundendis dedicauit. Ibidem, quod est longè maximum, ipse S. Silvester situs est, Pontifex multo sanctissimus & de re Catholicâ, si quis alius, optimè meritus, nempe qui Constantinum magnum primum ex Imperatoribus mūdi Christianū fide Christi & aquâ baptismi imbuit; à quo vno tam erecta & recreata est Ecclesia, quàm ab omnibus retrò Imperatoribus & tyrannis afflicta fuerat atq; prostrata. Nam in tantum pacis atque tranquillitatis, in tantum splendoris atq; dignitatis eam extulit, vt solis iam Christianis securitas cum dignitate; cæteris periculum cum dedecore immineret. Adde quod innumera templa vbiq; terrarum ab ipso quidem præcipuè, sed eius item exemplo à magnis proceribus & potentibus matronis excitata sint, & amplissimis possessionibus ditata, & priuilegijs immunitatibusque gratissimis

mis

S S. T E R E N T . E T S O C . M M . 41
mis, cum ulata . Ibidem præterea sepulti
Liberius, Siricius, Cœlestinus sancti Pon-
tifices. Ibidem illæ sanctæ fœminæ, Sabinilla
cum viro Pudente, S. Pudentiana,
& S. Praxedis horum filia . Item Basilla
virgo, & nuper Tornacensibus patrona
tutelarum data S. Deppa, & Dionantensibus
S. Polychronia, & Bruxellanis S. Helena,
Martyres. Inde & serenissima nostra
Imperatrix Anna Maria quam honoris
causa nomino & eius apud summum
Pontificem legatus R^{mus}. D. Ioannes God-
defridus Bambergensis Episcopus, bene-
ficio eiusdem Pontificis Dei gratiâ, Pauli
V. sancta corpora acceperunt, illa qui-
dem æterna, hic bina. Indidem ergo & nos
S. T E R E N T I A N V M, eiusque socium
Martyres habemus . Indidem Insulenses
suum Victorem, indidem Atrebates suum
Florentium, indidem Vallencenates suum
Seuerinum, indidem vrbes complures,
alios impetrarunt suos Patronos.

Venio nunc ad ipsam cœmeterij, vt
nunc visitur & à R. P. Angelino Gazæo
tanquam recenti & oculato teste accepi,
descriptionem, cui & optimè ea congrue-
re, quæ antiqui scriptores ante annos plus
mille & ducetos litteris tradiderunt, digito
ostendam .

Obest

Abest S. Priscillæ cœmeterium tertio ab vrbe Româ lapide in viâ salariâ. Supra vnum eius aditum, domus quædam est campestris Collegio Romano Societatis IESV propria. Hîc primò in cellas domesticas, deinde ex ijs rursus adiuncto scalarum subsidio in profundiora spatia descenditur: ibi sese obijcit cubiculum grande (sic enim antiquitus vocari solita, quæ nunc sacella appellamus, docet in notis Romani Martyrologij Cardinalis Baronius) quod cubiculum est longum pedes circiter quinquagenos, latum porrò altumque equalibus in utrâque dimensione spatij, trecenos, opere lateritio egregiè concameratum, ostiis hinc inde compluribus ad interiorem subterraneam ciuitatem (sic eam vocat idem Cardinalis) viam commonstrans. Sed lubet hîc eius verba è Tomo 2. Annalium claritatis auctoritatisque gratiâ attexere. *Mirabile dictu, inquit, vidimus sæpiusq; lustrauimus Priscillæ cœmeterium haud pridem inuentum atque refossum viâ salariâ tertio ab Vrbe lapide, quod nullo magis proprio vocabulo dixerimus præ eius amplitudine, multisq; atque diuersis eiusdem vijs, quàm subterraneam ciuitatem. Quippe quod ipsius ingressu primaria via cæteris amplior pateat, quæ hinc inde diuersas vias habeat, easdem-*

*easdemque frequentes, que rursus in diversos
 viculos diuidantur & angiportus: rursus, ut in
 ciuitatibus, stans locis velut fora quedam, am-
 pliora sint spacia ad conuentus sacros agendos,
 eademque sanctorum imaginibus exornata,
 nec desint, licet nunc obstructa, ad lumen reci-
 piendum desuper excisa foramina. Obstupuit
 vrbs, cum in suis suburbis abditas se nouit ha-
 bere ciuitates, Christianorum, tempore perse-
 cutionis, colonias, modo autem sepulcris tantum
 refertas, & quod legebat in chartis, vel vide-
 bat ex alijs cœmeterijs aliqua solum ex parte
 reclusis, tunc plenius intellexit. Ita Baronius.
 Quibus conformia sunt, quæ narrauit &
 scripsit Angelinus Gazæus, eiusdem cœ-
 meterij anno Natalis Dominici c. 100.
 xi. lustrator, cui propter multiplices via-
 rum amfractus filo duce tanquam in laby-
 rintho utendum fuit, qui omissis semitis
 tritioribus in eam partem quæ ad occasum
 vergit, ingressus, iam rependo, iam ambu-
 lando, demum ad duo stadia promouit, in-
 terdumque obseruando notauit, vbi ternæ
 ambulationes aliæ super alias occurrerent,
 & in earum nonnullis hinc atque hinc de-
 fossa in parietibus sepulcra quaternis ab-
 imo ad summum ordinibus, quædam in-
 scripta, quædam rudia, quædam vacua,
 quædam plena, nunc latinis, nunc græcis
 epi-*

epigraphis, aut in marmore, aut in crusta, aut in terra lapidosa, exaratis, subinde cum lapidibus paruulis ijsque rudibus ac terreis, nonnunquam adsculptis palmis & impressa hac notula: ✠ Aliquando cum phialis in ipsum murum iniectis sanguinem olim, sed nunc exsuccum profectis: visa item sacella pluscula, nouenos pedes lata æque & longa, testudine superius in crucem camerata, ubi altaria etiamnum cernuntur, sed ablatis lapidibus consecratorijs concaua: imagines etiam perantiquæ appictæ parietibus, iam Domini N. IESV CHRISTI inter Petrum & Paulum Apostolos, medijs: iam S. Ignatij Martyris inter rugitus leonum precabundi: iam aliorum denique atque aliorum sanctorum. Quæ ad loca ijsque similia, vt omni pietate, religione, sanctitate plenissima itare crebro Christiani redditâ Ecclesiæ pace, à temporibus Constantini Magni ac deinceps olim soliti. *Dum essem Romæ puer, inquit S. Hieronymus, & liberalibus studijs, erudirer, solebam cum cæteris eiusdem ætatis & propositi, diebus dominicis sepulcra Apostolorum & Martyrum circuire, crebroque cryptas ingredi, quæ in terrarum profunda defossæ ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepulcorum, & ita obscura sunt omnia*

*In Exc-
chielem
12. c. 40.*

omnia, ut propemodum illud propheticum compleatur: *Descendant ad infernum viuentes: & raro desuper lumen admissum horrorem temperet tenebrarum, ut non tam fenestram quam foramen dimissi luminis putes, rursusque pedetentim acceditur & caeca nocte circumdatis illud Virgilianum proponitur:*

Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.

Ita D. Hieronymus, auctor exemplo suo studiosis nostris, ut ad corpora Sanctorum Martyrum, quae magis in promptu habent, crebro ventitent. Idem D. Hieronymo se fecisse Prudentius poeta Christianus in carmine *Ὁ Εἰς τὸ Φόρον* vndecimo non absque magnis suae pietatis indicijs merito gloriatus est, nimirum adisse se ad Martyrum cryptas, orasse ad eorum sepulcra & votorum suorum quaecumque & quoties poposcisset, toties copotem recessisse. Cuius etiam descriptionem breuiusculam cum dictis D. Hieronymi & Angelini Gazæi (nam diuersa licet coemeteria, tamen non diuersa admodum formam fuerunt) optimè consonantem visum hinc subijcere. Sic ergo in carmine iam laudato scribit:

*Hand procul extremo culta ad pomeria vallo
Mersa latebrosis crypta latet foveis.*

Huius

46 TRIUMPHVS SACER
*Huius in occultū gradibus via prona reflexis
Ire per anfractus luce latente docet.*

*Inde vbi progressu facili nigrescere visa est
Nox obscura loci per specus ambiguum;*

*Occurrunt caesis immissa foramina tectis,
Que iaciunt claros antra super radios.*

*Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus
Arcta sub umbrosis atria porticibus:*

*Attamen excisi subter caua viscera montis
Crebra terebrato fornice lux penetrat.*

*Sic datur absentis per subterranea solis
Cernere fulgorem luminibusque frui.*


Ita Prudētius, quem ibi putat Onuphrius de cœmeterio Calixti scribere: Baronius autem de cœmeterio Cyriacæ in agro Verano. Ego de Cyriacæ certum puto, siquidem ipsemet Onuphrius qui in libello de VII. Urbis Ecclesijs existimauit de Calixti cœmeterio Prudentium loqui, idem tum ibi, tum in libro de cœmeterijs fatetur S. Hippolytum martyrem, de quo agit illic Prudentius, in Cyriacæ cœmeterio sepultum esse. Quare si agit Prudētius de eo cœmeterio, in quo S. Hippolytus martyr sepultus est, isque in Cyriacæ est sepultus, quod vtrumque dictis locis fatetur diuisim Onuphrius; planè consequens est, vt locus Prudentij in re de cœmeterio Cyriacæ intelligendus sit, quamuis ipsa

cœme-

SS. TERENT. ET SOC. MM. 47
cœmeterij forma tam alijs quàm ipsi S.
Priscille cœmeterio optimè in primis cõ-
gruat. Sed de loco, vt opinor, satis: Iam ad
signa quibus Terentianum & eius socium
sanctos esse & martyres dignouimus, pro-
grediemur.

CAPVT TERTIVM.

*Nota quibus SS. TERENTIANI & socij
sanctitas & martyrium agnita sunt.*

 V M ab homine veritatis studio-
so requiri haud iniuriã possit, vt
vel Martyrum nostrorum acta
publica promamus, quibus ho-
nos, qui eis est habitus, iure illis vindice-
tur, aut si quidem rerum ab ijs gestarum
tabulas habemus nullas, saltem certa tam
sanctitatis quàm Martyrij signa atque in-
dicia in medio exponamus, quibus non
immeritò tantam illis claritatem, quanta
de illis passim concepta est, adstruamus:
propterea hoc mihi agendum est, vt quid
Pontifices maximos ad eos sanctorũ Mar-
tyrum numero adscribendos impulerit,
breuiter aperiã. Quemadmodum igitur
in ijs Ecclesijs quæ plus ocij atque facul-
tatis ad tabulas de Martyribus conficien-
das, aut litteras probatæ quorundam san-
ctitatis quaquã versum mittendas nactæ
erant,

erant, satis ad vim testimonij habebant aut ipsi codices Notariorum, aut publicæ populi, aut priuatæ magnorum virorum epistolæ: ita vbi hæc vel acerbitate temporum vel aliâ interueniente causâ deficiebant, satis esse signi existimatum est ad confirmandam in talibus præsertim cœmeterijs conditorum sanctimoniam, id quod ex sepulcrorum antiquis inscriptionibus, maximè istis alijs, quæ superiori capite attigi nunc explicabo indicijs, nimirum palmæ, phialæ, lampadis, græcorum characterum X & P sese hoc modo intersecantium

Imò etiam vbi que vllis inscri-
da inuenirentur



colligi posset. hæc signa abs-
ptionibus nu-
quod in quàm
plurimis æstuante persecutione & numero
Martyrum innumero simul pro Christo
fortiter oppetentium tabulis locum non
dante accidit, tamen vt Martyrum hono-
res ijs impertirentur, abundè argumenti
apud omnes Catholicos, vt multa confir-
mauit experientia, habuerunt. Itaque in
omnibus istis SS^m. cœmeterijs interdum
inscriptiones seu epigrammata, vt docet
Prudentius, sepulcris adiecta sunt, quibus
scilicet nomen & titulus Martyris inno-
tescerent: interdum autem minimè, sed
nume-

SS. TERENT. ET SOC. MM. 49
numeris dumtaxat inibi sepulcorum in-
scriptus: De quibus vtrisque sic Pruden-
tius ad Valerianum Episcopum hymno
ᾠδὴ σεφάων xi.

*Innumeros cineres Sanctorum Romulâ in vrbe
Vidimus, ô Christo Valeriane sacer.*

*Incisos tumulis titulos, tu singula quæris
Nomina: difficile est, ut replicare queam.*

*Tantos iustorum populos furor impius hausit,
Cum coleret patrios Troia Roma Deos.*

*Plurima litterulis signata sepulcra loquuntur
Martyris aut nomē, aut epigramma aliquod.*

*Sunt & multa tamē tacitas claudētia tumbas
Marmora, que solum significant numerum.*

*Quanta virum iaceāt cōgestis corpora aceruis
Nosse licet, quorum nomina nulla legas.*

*Sexaginta illuc defossas mole sub vnâ
Reliquias meminisse me didicisse hominum;*

*Quorum solus habet cōperta vocabula Christus:
Vtpote quos proprię iunxit amicitie.*

Itaque palàm fit è Prudentio homine
pientissimo iuxtà & doctissimo, qui ante
mille ducentos annos hæc scripsit, in istis
cryptis ac cœmeterijs aliqua martyrum
corpora cum nominibus & titulis, alia
absque illis fuisse, quorum nomina soli
Christo, cuius pro amore mortem oppe-
tierant, cognita essent. E prioribus ergo
est noster **TERENTIANVS**: è secundis
D eius.

50 TRIUMPHVS SACER
eius socius. Quare cum non minus honore & cultu digni sint, quorum in terrâ extinctum nomen (dummodo ob fidei certamen, & martyrij victoriam in celo scriptum sit) quàm eorum, quorum nomina & epigraphæ perennarint; propterea mihi sapienter Ecclesiæ Rectores fecisse videntur, dum singulis martyrum nominatis singulos adiunxerunt anonimos, cum subinde in celo maior sit anonymorum quàm nominatorum (siquidem ibi solius virtutis & meritorum viget respectus) honos & gloria. Nec esse nouum ac nuper inductum, coli in Ecclesia martyres innominatos, satis norunt, qui antiqua Martyrologia, (in quibus sæpe absque nominibus soli numeri recensentur: vt Quadraginta martyrum, vt Quatuor Coronatorum, vt S. Mauritij & Sociorum, vt multorum aliorum) aliquando perlegerunt. Iam verò eos, quibus de agimus, verè fuisse martyres, ea signa quæ superiùs posui, vt olim maioribus nostris Hieronymo, Prudentio, & alijs; sic etiam nobis abundè fidem fecerunt. Quibus præterea Beatissimi Papæ Pauli V. accessit auctoritas, tam approbantis ea ipsa quæ recepimus corpora esse SS. Martyrum, quàm, vt eadem publicè veneranda proponerentur, concedentis.
Sed

S S. TERENT. ET SOC. M M. 51

Sed ipsa signa, ne quid obscurum relinquatur, venio paucis explicatum. Ea sunt quatuor: Palma, character, Lāpas, phiala, quæ isto disticho exprimuntur:


*Lampas cum phialâ, cum palmâ littera bina
Sunt cetera indubij symbola Martyrij.*

Pālma igitur quin aptissima Martyrij nota sit, haud ambigi potest: nam cum ea passim pro omine, indicio, testimonio victoriae solita sit vsurpari, tum praecipuo quodam iure Sanctis Martyribus, qui inter victores ob reportatam illustriorem de inimicis suis fuso sanguine victoriam merito tenent principatum, velut proprium quoddam insigne virtutis atq; fortitudinis attributa est. Vnde egregium illud Claudij Paradini, de Martyribus, qui subiectis gladio ceruicibus immortales coronas meruerunt, emblemata simul & heroicum symbolum hinc visum exprimere, quod tibi proximè sequens pagella exhibebit.

D 2

Cessit

TRIUMPHVS SACER
Cessit victoria victis.



VBI de cruento ac stillanti gladio
furgens palmula victoriam de tor-
mentis


SS. TERENCE. ET SOC. M M. 53
mentis & morte denotat : implexæ vero
eiusdem palmulæ ramis nouem corollæ
nihil aliud quàm vberem cælestium præ-
miorum copiam , quibus nunc in cælo
triumphantes post momentaneos huius
temporis cruciatus æternis perfuuntur,
significant.

Quòd autem habet epigraphe cessisse
victoriam victis, An non verè cessit, quan-
do ij, qui victi videbantur , quia numellis
compediti, quia in carcerē & robur com-
pacti, quia varijs tormentis exerciti atque
distracti, per ea ipsa hostes suos atque tor-
tores, qui vicisse se credebant, in sententiâ
suâ persistēdo vicerunt? An non verè ces-
sit, quando non priùs de arenâ excesserunt,
quàm applaudentibus bonis omnibus &
ipso teste cælo vicisse moriendo iudicati
sunt? An non verè cessit, quando sibi plu-
res patiēdo atque sustinēdo fautores ag-
gregarunt , quàm ipsi immanes atque im-
portuni hostes & tyranni infestando? An
non verè cessit, quando meliores Christia-
norum turbæ , horum benè mortuorum
possidere beata corpora , quàm istorum
malè vincentium fœneam gloriam aucu-
pari maluerunt? Verè, verè accinere tali in
triumpho licet:

Victores victi: & cessit victoria victis.

C 3

Quo 3

Quorum proinde tumulis meritò index
 martyrij palma adsculpta est. Nam pronus
 in hanc sententiam facilè abit D. Ambro-
 sius, qui ad illum Exodi locum: *Venerunt
 autem in Elim filij Israël, ubi erant duodecim
 fontes aquarū & septuaginta palmae*, sic scri-
 bit: *Premium quoddam victoris (inquit) est
 os vino fonte diluere, & dexteram triumphali
 palmâ munire. Per fontem enim lingua con-
 fessoris purificatur, per palmam dextera mar-
 tyris honoratur: illa, quia Christi exaltauit
 gloriam: hæc, quia aram sacrilegij recusauit.*
 Et infra: *Est planè palma martyribus suavis
 ad cibum, umbrosa ad requiem, honorabilis ad
 triumphum, semper virens, semper vestita fo-
 lijs, semper parata victoriæ. Atque ideo non
 marcescit palma, quia Martyrum victoria
 non marcescit.* Ita de palmâ Martyrij indice
 D. Ambrosius. Nunc ad characterem. Erat
 enim præter palmam ijsdem seu marmo-
 ribus, seu parietibus sepulcrorū adscripta
 hæc Græcorū characterum X & P vt hîc
 expressa est  connexio, quæ
 nihil aliud, quam nominis
 XPICTOY id est Christi,
 est epitome, binis scilicet
 prioribus vocabuli litteris pro toto voca-
 bulo facientibus, estquæ illud ipsum no-
 men, quòd vna cum Crucis signo iam à
 mille


mille trecentis, eoquē amplius annis Constantino magno cælitus in æthere monstratum est, in quo hostes vinceret. Cuius rei non potest induci testis locupletior, quàm ille ipse, qui eidem Constantino fuit perquam familiaris, & est historicorum Ecclesiasticorum facilè princeps Eusebius Cæsariensis, cuius hæc sunt verba. *Simul atque dies illuxit, surgens Constantinus primo arcanum illud visum* (de apparitione Crucis) *amicis exponit, deinde artificibus, qui aurum & lapides pretiosos affabrè sculperè noverant, accersitis, medio inter eos loco assidet, verbis signi describit effigiem, eam auro & lapidibus pretiosis imitatione adumbrare mandat. Quam quidem effigiem contigit ut nos oculis olim contemplaremur. Erat autem tali figurâ fabricata: hastile oblongum erectumq̄, auro vndiquē obductum fuit, quod cornu habuit transversum ad formam Crucis constructum. Suprà in fastigio ipsius operis corona affixa lapidibus preciosis & auro politè circumtexta. In eâ salutaris appellationis nota inscripta, duobus solùm expressa elementis (erat enim P in medio litteræ X. inserta) quæ totum Christi nomen perspicuè significarunt. Quas quidem litteras deinceps semper Imperator in galeâ gestare consuevit. Ad cornu illius particula, quæ ex transverso erat per hastile*

lib. 1. vita
Constantini, c. 25.

traiecta, velamen quoddam pertenne appen-
sum adhaesit, regalis videlicet & magnifica
textura, mirabili varietate lapidum precio-
sorum artificiose coniunctorum, lucisque sua
claritate resplendentium depicta & multo au-
ro intertexta, quae, dici non potest, quantam
spectatoribus ob suam pulcritudinem excita-
rit admirationem. Istud igitur velamen ad
cornu affixum, longitudinis latitudinisque cru-
cis mensuram penitus exaequavit. Oblongum
verò & erectum hastile in sublimi appensum,
cuius pars inferior versus basim longius ducta
fuit, sub ipsum Crucis insigne ad texture dis-
currentis fimbrias, auream pij Imperatoris
ac liberorum suorum effigiem, ad pectus usque
concinne descriptam continuit. Isto igitur sa-
lutari signo Imperator tanquam hostilis cu-
iusque & infestae violentiae propugnaculo sem-
per usus est. Ita Eusebius.

Ecce

SS. FERENT. ET SOC. MM. 57
Ecce autē totum labarū hīc repræsentatū.
IN HOC VINCE.



Verbis Eusebij conformia sunt , ea
quæ lib. I. contra Symmachum Pru-
dentius

58 TRIUMPHVS SACER
dentius sic perscripsit:

*Christus purpureū gēmani textus in auro,
Signabat labarū, clypeorū insignia Christus
Scripserat, ardebat summis Crux addita
cristis.*

Et rursus ————— *Tunc ille senatus
Militia vlticis titulum, Christiq; verēdum
Nomen adoravit, quod collucebat in armis.*

Ita Prudentius.

Iam de phialâ in ipso sepulcro inclusâ, dé-
que appositâ lampade haud difficilis sanè
est ratio, cūm vti hæc sanctitatis, sic illa
Martyrij euidens sit suâ sponte indicium.
Nec enim lumina ferè à Christianis, nisi ad
sanctorū corpora honoris ergô, nec phiala
sanguinis nisi ad martyrum tumulos in fusi
pro Christo sanguinis testimonium adhi-
beri solita vel legimus vel audiuius. Vnâ
porrô è terreis istis lampadibus, quæ cum
sacris corporibus in S. Priscillæ cœmete-
rio reperta etiamnum in S. TERENCEIANI
thecâ asseruatur, vidi & attrectaui. Phia-
lam verô sanguine tinctam non vidi. Nam
ea, quæ in Belgium vnâ cum reliquijs de-
uehebatur, itineris difficultate, atque esse-
dorum concussu diffracta est, cuius frag-
menta colore imbuta sanguineo multis &
ipsi Reuerendissimo Atrebatensi conspe-
cta sunt. Quisnam verô sanguis in huius-
modi

modi vasculis seruaretur, exquirenti non alius esse visus, quàm quem Christiani recolligendorum omnium quæ essent martyrum auidissimi, aut de vestibus aut de solo exceptum, atque spongijs exsuctum in vitrea ista vascula, exprimendo refudissent, quippe qui sciam non obscure id Prudentianis illis versibus innui:

Palliolis etiam bibula siccantur arena

Ne quis in infecto puluere ros maneat.

Si quis & in sudibus, recalenti adspersione, sanguis

Insidet, hunc omnem spongia pressa rapit.

Propter quod pietatis officium viuit in benedictione sanctæ Praxedis virginis clara memoria, quam & Onuphrius Panuinius in libello de septem vrbis Ecclesijs, cum de Ecclesiâ & titulo sanctæ Praxedis agit, ita commemorat: *In mediâ Ecclesiâ inquit sub craticulâ ferreâ, Conditorium situm est, in quo repositus fuit sanguis sanctorum Martyrum Romæ occisorum quem spongiâ sugebat è terrâ sancta virgo Praxedis. Itē multa sanctorum Martyrum corpora ibidem collocata fuere.* Ita ille. Nicolaus autem Seniorilis in libro reliquiarum, inter alias Basilicæ sanctæ Praxedis reliquias, recenset vas vitreum cum spongiâ, quâ S. Praxedis sugebat, vt scribit, sanguinem martyrum. Ad lampades autem
siue

Hymno

XI. *Ὁ Εὐ*

σεφά-

υων.

*Histo. SS.
PP. c. 21.*

*L. de ciuit.
22. c. 8.*

siue lychnos quod attinet, hanc quoque ob causam apponi ad martyrum sepulcra crediderim, vt desumpto postmodū, quod inibi præluxisset, oleo ad propellendos corporis morbos vsus esset. Nā & Theodoretus talis olei studiosē à martyrum sepulcris collecti appensam ad lecticā suam lecythum habuit, adeoquē eius ope à nocturnis Dæmonū iniurijs tutus fuit. Quin & Irenæi cuiusdam filius, ipso teste D. Augustino, iam exanimis, oleo quod ad S. Stephani reliquias arserat, perunctus, extēporali curatione viuus suis restitutus est.

His concinunt D. Paulini versus. lib. 5. de vita S. Martini,

*Namque vt saepe solent, precantō corde fideles,
Vasa oleo opplere, & seruanda adducta salutē
Vel iustis offerre viris, vel condere sanctis
Relligione locis, quibus aut operatio presens,
Martyrij emeritos prodit virtute patronos,
Aut quibus in cunas Verbum venisse beatas,
Vel recolit manifesta fides, vel lectio prodit.*

Hæc Paulinus.

De signis igitur, eorumquē significatione haftenus: nec in præsentia pluribus opinor esse opus. Tantū hoc addo ex ijsdem signis, palmæ scilicet, characterum, lampadis (nam de phialâ certum nō habeo) sanctorū **TERENTIANI** & socij sanctimoniam

niam atque fidei testificationem esse collectam. Tametsi enim phiala pereuidens martyrij fuerit indicium, tamen ijs solis apponi solitum esse vero est simillimum, qui gladio aut aliter fuso sanguine interijssent, & ijs quidem non omnibus (siquidem eius recolligendi sanguinis non semper facultas Christianis fuit) sed aliquibus duntaxat, nempe, quibus aut lentior tyrannorum persecutio, aut ardentior Christianorum cura in eam rem faceret. Nam ab ijs qui laqueo aut igni, aut aliâ eiusmodi viâ morti destinabantur nullus sanguis reseruabatur. Quare cum Romæ ex sufficientibus probatisq; indicatijs martyrij palma TERENTIANO, eiusque socio adiudicata sit, rémq; iudicatam Reuerendissimus Antistes Atrebatensis in sua diœcesi recognôrit, confirmaritque, fatius deinceps meo iudicio fuerit, ad religiosam venerationem, quàm ad curiosam disputationem conuerti. Si quis tamen, vt inter amicos familiare est, beneuolentiæ studio requirat, quâ viâ, quorumue allegatione tã rara & tam preciosa obtinuerimus cimelia, iam dicam.

CAPVT QVARTVM.

*Sacrorum Corporum TERENTIANI & Socij
M. M. Impetratio.*



Vemadmodum nonnullis, quibus in precio corpus, anima vilis est, pro cæstro ad quæuis flagitia liuor inuidiaque militat: ita probis ac spectatis viris, quibus minimum est cum corporibus fluxisque rebus commercii, sed tota occupatio cum animâ, & omnis societas cum cælo est, pro stimulo ad veros stabilesque thesauros, & quadam veluti acuendæ virtutis cote, est ipsa piorum, quos in oculis habeant, æmulatio. Id mihi ad eò proximis hisce temporibus clarâ videre experientiâ datum est. Nam cum vicinis nostris Insulensibus (inter vicinos enim potissimè insurgit æmulatio) vnâ cum sancto Victore allata esset veluti pietatis ac religionis victoria; pupugit ea gloria generosos Catuaceni soli incolas, non ad inuidiam boni alieni, sed ad curam & prouidentiam sui.

Quare quorum precipue intererat, plurimumque valebat Romæ apud R. P. Generalem auctoritas, hi opem suam, & operam impenderunt, vt qui vicinis Insulensibus sacra illa pignora procurarat ac miserat,

SS. TERENCE. ET SOC. MM. 63
tāt (nempe admodū R. P. Claudius Aqua-
uiua, Societatis I E S V Præpositus Gene-
ralis,) idem Duacenæ quoque ciuitati de
Collegio Aquicinctino eiusdem Societa-
tis optimè meritæ, similia sanctorum ci-
melia, non minori quam vsquam alibi, ho-
nore veneranda, procuraret. Ad eum pro-
inde super hoc beneficio deprecatorias
dedere litteras, cū alii nōnulli, tum præ-
cipue R. P. Ioannes Herennius, Societatis
I E S V in Belgio Prouincialis, vt cui Dua-
censis ornandi atque amplificandi Colle-
gii tanquam Prouinciæ Belgicæ primi &
numerofissimi, cura & sollicitudo princi-
paliter incumberet, incumbatque; tum ve-
ro plenus bonorum dierum & operum, &
vno propè perfunctus annorum seculo,
R. P. Oliuerius Manareus, Collegii eius-
dem amantissimus, & maximis quondam
in Societate I E S V, & quàm diutissimè
versatus officiis, Rectoris, Prouincialis,
Visitatoris, Assistentis, Vicarii Generalis,
qui & cum B. Ignatio, religionis fundato-
re vixit, & primus ab eo Rector Lauretani
Collegii est constitutus, qui nunc Torna-
ci in domo Probationis siue Tirocinij in-
ter Nouitios plusquam nonagenarius

*Sicut fortis equus, spatio qui saepe supremo
Vicit olympia, nunc senio confectus quiescit.*

Misit

Misit verò & P. Ioannes Seruius, piæ memorię; olim collegij Duacensis multos annos Rector & concionator, misit inquam pro ijsdem impetrãdis sacris corporibus supplices litteras, & ipse vir senex, & in senectute laboriosus, & in labore ad mortem vsque indefessus, qui templum quoque ipsum in quo nunc sita sunt SS. martyrum pignora, à fundamentis extruxit. Quare vt pro structurâ, sic & pro ornamento satagit. Cēsuit enim nullum ædi sacrae neque pulcrius ad splendorem, neque efficacius ad pietatem accedere posse ornamentum, quàm quod triūphatrices inuictorum Christi athletarum exuuiæ locis religiosis exhiberent.

Omnium igitur votis & P. Generalis & Pontifex maximus, imo & Deus ipse, in cuius manu eorum & omnium corda, propitius annuit. Qui quidem Deus opt. max. non modò ad petitionis ipsius æquitatem, non solùm ad eorum qui petierūt, probitatem & longum in eius seruitio famulatum, sed etiam, atque, vt ego quidem opinor, potissimè ac singulariter ad ipsius vrbs Duacena eximiam atque incredibilem, & in recipiendis, quæ mittebantur, sacris pignoribus, animorum alacritatem, & in colendis ac venerandis pietatem ac
deuo.

deuotionem attendit. Nec enim Deus generis nostri similis est, qui dubia atque incerta habemus omnia, quæ post futura sunt, & obscurè tantùm, ac veluti per caliginem ventura prospicimus, sed ea quæ necdum sunt, perinde quasi iam sint, clarissimè conspicit: nec est aliquid tam ab hominum oculis & intelligentiâ remotum, tam dubium, tam incertũ, quin ei & proximum sit & notissimum & certissimum. Intuebatur itaque de excelso suo folio Magistratus Catuaceni ad beata illa martyrum pignora **TERENTIANI** eiusque socij perquam honorificè in urbem suam suscipienda sollicitudinem: respectabat vniuersi populi attentissimas ad pompam apparadam curas atque vigilias: notabat vniuscuiusque ciuium non minùs occulta in cordibus vota, quàm expressa in manibus opera: præsens illi erat occursum extra urbem in splendore armorum: præsens illi erat iucundus in mœnibus tibiarum hinc atque hinc resonantium plausus: præsens illi erat tot Canonico- rum succollare oneribus plus honoris quàm oneris habentibus gestientium ardor, tot religiosorum singulari sanctimoniâ præditorum, comitatu longè gratissimo sese offerentium hilaritas: præsens

E

illi

illi erat tota Academia, tota Magistratus, tota Nobilitatis magnificentia, claritudo, dignitas. Denique tot virorum, tot iuuenum, tot adolescentum, tot puerorum cereâ & virginali face & facie præmicantium examina: tot honestarum matronarum, tot pudicarum virginum tacita vota: Postremo tot altaria, tot columnæ, tot arcus, tot portæ, tot theatra, tot alia decora atque ornamenta, quæ inferiùs spectatim, vt suus redeat ad eos, qui in his laborarunt, fructus ac voluptas, magis explicanda sunt: hæc Deo inquam, omnia intuenti ac talibus præsertim pietatis spectaculis gaudenti, præsentia, atque in oculis erant: vt proinde meritò ad hoc vsque tempus retinuisse in occultis cœmeteriorum latebris sanctorum suorù ossa videri possit, quo nunc illa cum multiplici honoris scœnore gloriosa depromeret, & quasi suis manibus in Duacena ciuitatis sibi ob pietatem gratissimæ amico gremio deponeret. Descendo iam à Dei consiliis ad æmulas hominum, quantum quidem fas est, tacris in rebus circumspeditiones.

CAPVT QVINTVM.

Sacrarum reliquiarum ab vrbe Româ in Belgium deportatio, exploratio, approbatio.



AGNO semper in ecclesiâ Dei studio curâque à primis Pastoribus est inuigilatum, vt nullæ in publico Diuorum reliquiæ, ne martyrum quidem, nisi prius à potestate legitimâ diligenter excussæ atq; examinatæ ad populi cultum venerationemque prostant. Hinc Cæcilianus ille apud Optatum Mileuitanû, Lucillam nobilem feminam, Donatistarum patronam meritò reprehendit, quòd ante Eucharistiæ sumptionē, os nescio cuius hominis mortui, si martyris, nondum tamen, vt ille ait, vindicati, ori admoueret. Vindicandi enim, hoc est Pontificiâ auctoritate atque testimonio muniendi martyres erant, verèque esse martyres ex accuratâ inquisitione cõprobandi, antequàm publicis vulgò, imò & priuatis passim honoribus dignarentur. Quod nostris in martyribus, S. T E R E N T I A N O eiusque socio, Romæ primò factum esse indicant litteræ admodum R. P. Claudij Aquaiuæ Soc. I E S V Præpositi Generalis datæ Româ ad R. P. Carolum de le Nort tum Rectorem Duacensem

sem ipsis Kal. Martij, anno salutis cio. ioe. xiii. Quo etiam tempore ipsa Sanctorum corpora in cistis idoneas studiosè compacta, cōmodisque inuolucris communita in Belgium cum summi Pontificis facultate transmissa sunt. Inclusæ seruantur eæ litteræ in capsâ, vbi S. T E R E N T I A N I ossa continentur. Ex quibus ossibus, vti & aliorum multorum corporum eodem tempore è cryptâ S. Priscillæ educatorum, sibi partes aliquas vindicasse idem sanctissimus Pontifex Paulus V. dicitur. Idem porrò circa reliquias cautionis genus à R. D. Hermanno Ottēbergo diœcesis Atrebatensis, in quâ est Duacum, Episcopo, diligēter est obseruatum. Quæ secunda exploratio multis iustisque de causis adhibetur: nempe vt constet easdem has esse reliquias, quæ aliunde missæ sint, non verò alias siue fraude, siue aliâ de causâ suppositas: tum verò, vt res multorum Patrū ac Præfulum comprobatione certior sit atque testatior: ac denique, vt nihil eorum, quæ ad publicam religionem spectât, loci eius, vbi nouus rei sacræ cultus inducitur, Pontificē prætereat. Quare perquam attentè & accuratè idem Atrebatensis Antistes vnâ cum duobus Archidiaconis, & Romanas litteras perlegit, & ipsas

ipsas reliquias. eadēne essent quæ Romā
 missæ, explorauit. Quam in rem hoc quo-
 que per commodū accidit, quod ille ipse,
 qui sarcinas istas sacrorum pignorum Ro-
 mæ adaptarat, reliquiāsque disposuerat,
 & vectori tradiderat, iam tum in Belgio,
 & in hoc de earum certitudine examine
 præsens esset, quærentique de illis Episco-
 po testis oculatus accederet. Quare om-
 nibus, vt res postulabat, ritè expensis, tum
 ipse Reuerendissimus ad earū venerationē
 primus se inflexit, & vsitata in eiusmodi
 ritibus ac cerimoniis precatione est vsus:
 deinde cæteri omnes, qui aderant, exem-
 plo sui Antistitis genu flexo accedere, ve-
 nerari, aliquas sibi particulas, vel, si id
 negetur, tenues puluisculos (tantundem
 enim magni illius Gregorij cognomento
 Theologi, seu etiā D. Ambrosij verbo ac
 testimonio, quātum ipsa corpora, possunt
 ac valent) multis precibus exposcere. Nā
 ipse quoque R.^{mus} Antistes è singulis cor-
 poribus aliquas sibi partes, religionis ergō
 erogarat: nimirum eodem zelo, quo sem-
 per magni Ecclesiæ Patres eiusmodi sacra
 dona sunt profecuti; eodem, quo è Græ-
 cis, Basilius magnus, Gregorius Nazian-
 zenus, Ioānes Chrysostronus: è latinis, D.
 Ambrosius, Hieronymus, Augustinus,

Paulinus, qui omnes eodem tempore tam Græci quàm Latini, nempe cùm Ecclesia, vt testis est S. Gregorius Nyssenus de suo æuo scribens, iam ad summum sanctimoniæ atque perfectionis apicem peruenisset, vixerunt & floruerunt. Qui vniuersi, & extra illos turba quoque aliorum multo maxima, qui se in magnis conciliis sanctarum reliquiarum vindices præstitērūt, semper eadem sacra pignora in honore ac precio habuerunt. Imò ille, quem è latinis postremum laudauit, S. Paulinus Nolæ Episcopus, sancti cuiusdam senis auriculam, quòd eam Christus in nauigio ei apparens fluctuanti, illumquæ periculo eximens vellicasset, tanti fecit; vt parum abesset, quin ei adhuc viuo & videnti eiusdem auriculæ partem aliquã in reliquias sibi detraheret. Quã de re iucundum erit, nec à proposito tamen alienum (siquidem amor appetitusquæ reliquiarum, quo de agimus, hinc elucescet) ipsius Paulini verba audire. Sic ergo in epistolâ ad Macarium: *Videre, inquit, mihi videor, quã gratulatione, quã admiratione, quã fide & auditurus de illo & visurus ipsum sis, cum quo nauigasse Angelos, cui Martyrem gubernasse, quem in sinu Christi dormisse, cui Christum aurem vellicasse, nomen imposuisse*

posuisse reputaueris. Fateor tibi affectionem meam, dum nimium tam insignia in nostri temporis homine, Dei gesta admiror & diligo, penè in ipsum senem fuisse crudelem. Nam tam assiduè aurem ipsius retractavi, ut penè detrinerim. Voluissem quoque vel unius partem auris abscindere, nisi in illo vulneris, que mihi pignoris, res fuisset. Ita S. Paulinus. Cui & virtute & eruditione clarissimo, quis est hostium tam confidens, ut se opponat? ut reliquias, quas vir tantus probauit & optauit, ipse vermiculus improbet aut reiciat? Denique postquam approbatæ, ut dictum est, ab Episcopo hæ reliquiæ fuerunt, tam multi & hinc & aliunde è vicinis oppidis aut locis earum frustula petierunt, ut si ad omnes se liberalitas extendisset, iam pridem nihil superesset. Itaque cum prudentiâ & parsimoniâ nōnullæ officulorum partes dispertitæ iis, qui ea essent ornatu & honore consentaneo in publicis templorum aris deposituri. Sed post certam & Pontificiam approbationem, ad sollicitos publicæ translationis apparatus educenda narratio.

CAPVT SEXTVM.

Apparatus ad translationem.

POSTQVAM sanctarum reli-
quiarum veritas & certitudo sa-
tis constitit: tum de congruo eis
honore habendo agi cœptum.

Nec enim permittit huius patriæ neque
priscus mos, neque hodierna pietas, vt te-
merè & ex abrupto integra præsertim SS.
martyrum corpora, vel in templa ignaro
populo inferantur, vel aris sacris absque
digno apparatu imponantur. Nam quid
esset hoc aliud, quàm & populos fructu
pietatis, & ipsos sanctos promeriti hono-
ris gloriâ spoliare? Quod in eos sanè ca-
dere nullo modo debet, qui & antiqua-
rum translationum triumphis simillima-
rum probè meminerunt, & recentium
hisce duobus tribúsue annis in hoc ipso
Belgio, & vicinis adeoque proximis vr-
bibus solemnitates publico honore atque
cultu plenissimas, vel oculis suis præsentis
conspexerunt, vel ab oculatis testibus au-
diuerunt, vel denique legendo repererunt.
Extant enim de his libelli, partim latinè,
partim Gallicè conscripti, quibus tota re-
rum in ijs translationibus gestarum series
breuiter declaratur. Et quidem ex anti-
quis

quis illa celeberrima & instar omnium haberi potest, quâ D. Ioannis Chryso-
 sti corpus è Comanâ Ponti ciuitate Cō-
 stantinopolim imperante Theodosio iu-
 niore translatum est: siquidem in thecâ
 inclusum argenteâ & humeris subuectum
 sacerdotalibus, præcedente ac præcinente
 Clericorum & Monachorum choro pri-
 mùm Chalcedonem, inde autem obuiis &
 comitantibus ipso Imperatore, & Proclo
 nouæ Romæ Archiepiscopo, simul cùm
 vniuerso clero ac senatu, & denique plu-
 rima multitudine ipsum Bosphorum quâ
 densis nauibus operiente, quâ crebris lu-
 minibus fulgurante, quâ lætis carminibus
 personante Cōstantinopolim est depor-
 tatum, atque in beatorum Apostolorum
 Petri & Pauli basilicâ depositum. Possem
 & alia eiusmodi plura proferre exempla:
 Sed illud ad hoc est satis, vt cunctis clarè
 luceat, quàm eorum, quæ in translationi-
 bus hodiernis facimus, nihil ab antiquæ
 diuertat Ecclesiæ institutis ac moribus.
 Quibus planè cōformiter R. P. Frācisus
 Mainfroy Collegii Duacensis Rector (nā
 eius præcipuè referebat, horū Martyrum,
 quos in æde suâ ponendos acceperat, ho-
 nori attendere) impensè curauit, vt nihil,
 quoad eius fieri posset, neque in transla-

tionis solemnè pompâ , neque in templo ipso, quod tam cælesti deposito fruiturum esset, quidquam desideraretur, quod vel urbis dignitati, vel martyrum religioni congrueret. Itaque opera primò data est, vt hisce sanctis pignoribus quasi nouis & acceptissimis hospitibus sua tabernacula, siue arcæ, è lignis duratu atque conseruatu optimis à peritissimo eius artis fabro conficerentur: tum verò vt preciosissimâ, & martyribus concolori holosericâ materie contegerentur, sed quam labor Phrygius & perdoctâ acu pinxisset, & suis palmis ac coronis tanquam propriis insignibus ornasset, & exquisitis lapidibus ac splendidantibus gemmis arte naturam illudente onerasset. Cui rei præter peritum phrygionem nobiles quoque & industriæ virgines tam ære suo, quàm opere meruerunt. Hac iam defunctus principali curâ (nam vt longioris operæ, sic erat ei ante omnia prouidendum) ad alias haud minùs necessarias se conuertit. Agendum enim cum Magistratu, cum Academiâ, cum Canonicorum vtroque collegio, cū Nobilitate, cum religiosis Ordinibus, cū multis denique & publicè, & priuatim res ea, vt quæ communem spectaret pietatem & laudem, fuit communicanda.

Haud

Haud enim dubium erat, quin & omnes
 vrbis pientissimæ ordines, tam oneris
 quàm honoris participes esse vellent, &
 se in eiusmodi negotio, si id forte accide-
 ret, præteritos esse quererentur. Actû ita-
 que cum omnibus, & eo (quæ Dei Opt.
 Max. gratia, & ipsorum quoque, vt opi-
 nor, S. Martyrum instinctus fuit) fine at-
 que successu, vt neminem qui huc colla-
 borarit, operæ suæ possit, aut debeat pœ-
 nitere. Nam Magistratus quidem intel-
 lecto peragendæ celebritatis, quæ in Dei
 sanctorumquæ laudem vergeret, consilio,
 vt est ipse suâ semper sponte in omnia
 publicæ pietatis officia pronissimus, ita
 hîc fuit eximio quodam ac singulari mo-
 do factis ipsis, præquam verbis, promptis-
 simus. Quippe qui non modò omnibus,
 quæ proposita fuerint, libenter sit assen-
 sus, sed etiam longè plus effecerit, quàm
 fineret aut sperare magnitudo, aut postu-
 lare verecundia. Cui etiam nihil necesse
 fuit, vt interdum solet, ciuibus suis ele-
 gantia atque ornatus vicorum, quo res
 studiosius per æmulationē fieret, præmia
 proponere, cùm satis haberet explora-
 tum, ad hoc omne certamen abundè per
 se valere vel sanctorum gloriam, quæ hîc
 ageretur, vel suum ipsius exēplum, quod
 aris,

76 TRIUMPHVS SACER
aris, & theatris nouâ operâ & formâ plu-
ribus in locis magnificè erigendis nosce-
retur. Vt enim Magistratus: sic & popu-
lus. Ita nec præmium æmulationis fuit, &
tamen fuit æmulatio, eaq̄ue tanta, vt mul-
tis nocturnas vigilias, etſi non indixerit,
tamen induxerit: cùm ſatis conſtet non
paucos integras noctes in opere faciundo
voluntarios exegiffe. Iam quod ad vene-
rabiles vtriuſque ædis tam D. Amati, quã
D. Petri Canonicos attinet, cùm ſe vtri-
que ad omne pietatis obſequium paratiſ-
ſimos obtulerint, hæc tantùm vt inter
ſtudioſos amantesq̄ue hospitalitatis ſan-
ctorum, cum ambarum partium laude,
fuit contentio, vtra ædes SS. Martyrum
reliquias prior exciperet, atque primæ
noctis hoſpitiſ apud ſe retineret. Verùm
quia Atrebato venientibus, vnde illæ ad-
uehendæ erant, prior D. Amati ædes oc-
curreret, æquitas fuit, vt illa vinceret: cui
ita venerabiles Domini Eccleſiæ S. Petri
conſenſerunt, vt poſtridie iidem Marty-
res nō modò ante limina principis Apo-
ſtolorum tranſirent, ſed etiam in templū
ipſum intrarent, ibiq̄ue aliquantiſper in
erecto ſibi tabernaculo ad modos ſuaue
reſonantis muſicæ conquieſcerent. Nihil
neque peti, neque concedi potuit æquius.
Itaque

Itaque sic conuentum . De quâ vtriusque loci tam nocturnâ in D. Amati, quàm diurnâ, in D. Petri, quiete, & vtrorumque Canoniorum in facras reliquias honore, quia in supplicationis ordine post agendû, nihil plus in præsentia. De nobilium quoque, qui quidem Duaci tum fuerunt, officio atque insigni pietate, suus quoque erit dicendi locus: quamuis hoc dici hîc possit, promptissimum eos studium in occursum præstitisse . Nec vlla fuit cum Academicis sponte suâ in omnem religionem propensissimis aut difficultas, aut mora, quin suo, vt solent, more hanc sacram pompam perlubenter, quaquâ possent, cohonestarent . Iam verò omnes huius vrbs Religiosi Ordines promptissimis animis, tam in pompæ solemnitate, quàm in diem solemnitate, tametsi non æquè omnibus opportunam, sese obtulerunt. Nam R. di PP. Franciscani licet, eadem esset translationis SS. martyrum, publicæque supplicationis, quæ D. Bonauenturæ patroni sui dies, tamen vt communi lætitiæ ac pietati gratificarentur (nec enim nobis facilè alia dies cõmodior, minusue impedita quibat inueniri) lubenter suam solemnitate in feriam alteram, quod maximi officij & beneficij loco duximus,

tran-

78 TRIUMPHVS SACER
transtulerunt. Denique de rebus his omnibus & omnium in idem calentibus ac conspirantibus studiis ad R.^{mus} Atrebatensem Episcopum à R. P. Rectore Duacensi relatum est. Quibus læto animo acceptis idem R.^{mus} diem translationi sanctorum corporum T E R E N T I A N I & socij Martyrum Atrebatō Duacum, dixit tertiam Idus Iulij, posteram verò diem, quæ eadem erat D. Bonauenturæ sacra, publicæ supplicationi ab æde D. Amati ad templum Societatis I E S V designauit. Quæ dierum designatio vt fuit euulgata (fuit autem sub initium Iulij) mox quod erat vsque ad futuram solemnitatem residuum temporis, id ferè omne in curâ apparatus impendi cœptum. Quo etiam tempore mirandam nos sanè in ciuibus ad omnia, quæ huic celebritati seruirent, vltro exhibenda munificentiam ac liberalitatem publicè priuatimquæ experti sumus, nec in iis modò, quibus benignitatem redderet opulentia ipsa leuiorem, sed in iis etiam quibus res familiaris non adeò lauta, nisi ardens interuenisset pietas, effectura fuisset grauiorem. De apparatu satis: nunc cultus initia pertractanda.

C A P V T

CAPVT SEPTIMVM.

Sanctarum Reliquiarum in Collegij Atrebatensis sacellum expositio & celebritas.



ÆTERIS ad triumphum destinatis, locus, vnde inchoaretur, dubius fuit. Tandem à vicinâ vrbe Atrebato capite Artesiæ ordiri placuit. Nam illîc Episcopi palatiû, vnde multus SS. Reliquiis honos adueniret: & Societatis IESV Collegium, cuius Rector cupidine honorandorum in æde suâ Martyrum eò trahebat: & populus quoque Sanctarum Reliquiarum studiosissimus, atque ipsa interualli iusta commoditas non plus sena milliaria Belgica (quod iter est sex horarum) inter vrbem vtramque complexi, illò impellebat. Vicit itaque id consilium, & plus honoris fuit, quàm si vndelibet foret inchoatum. Res quæ sic gesta palàm faciet. Erât iam Atrebati in Collegio Societatis, sacræ Reliquiæ, sed in iisdem capsis, quibus Româ deuectæ: binas alias recēti ac musteo opere confectas ac peregregiè elaboratas, noua Sanctorum domicilia & triumpho digna detulimus: eodemque die (is erat sabbatum & Iulij XII.) conuento consultoque Reuerendissimo, tandem pomeridia-

nis

80 TRIUMPHVS SACER
nis horis,educta è veteribus cistis,beato-
rum corpora in digniores imposuimus ap-
tauimusque, idque intra domesticos pa-
rietes priuatim; sub horam deinde quin-
tam vespertinam publicè & cum honore
exposituri. Interea per iuuentutem quæ
solutis scholis domos repetierat, eius ho-
noricæ expositionis rumor & hora vr-
bem peruasit, multosque in primitias ve-
nerationis illexit. Erat sacra aula, in quâ
exponendæ Reliquiæ, longè quàm aliàs
ornatior, splendidiorque, tapetibus, peri-
stromatis, altarium cultu, Diuorū Floren-
tii eiusque socii lipfanothecis supra aram
maximam collucentibus: in eâ verò mediâ
subrectum erat tabernaculum sacrorum
corporum, vsque ad diem proximam, hos-
pitalis statio. Huc à primis Patribus can-
didâ lineâ veste & stolâ oblongâ super-
amictis, cæterâ præeunte ac puras faces
prælucente Patrum fratrumque turbâ,
expectatæ à frequenti populo, SS. Marty-
rum triumphales exuniæ, accinentibus ex
odeo vocibus & instrumentis musicis de-
portatæ & in arâ suâ depositæ sunt. Secun-
dum litanias Lauretanæ insigni tunc or-
ganorum vocumque harmoniâ decantatas,
precatio de SS. Martyribus modulatè
pronunciata & finem canendi musicis de-
designa-

SS. TERENT. ET SOC. MM. Si
signavit, & nostris qui sacra feretra hactenus
venerabundi circumdederamus, signū
abeundi, & æstuosæ multitudinis deuotio-
ni locum receptu nostro faciendi; qui vt
factus est, mox turba omnis in veneratio-
nem, ore, genu, mente prouoluta, magnis
antiquæ pietatis indicijs prouolauit: viri
venerabiles, honorandæ matronæ, nobiles
iuxtâ & plebeij, senes æquè & paruuli, de-
nique promiscuè ætas omnis & sexus:
quippe vbi conditionis respectum, deuo-
tionis feruor; & honoris humani discrimen,
diuinæ religionis æqualitas euinceret.
Quò tamen sua sacris in rebus facta te-
cta modestia seruaretur, septis circumpo-
sitis munire accessus contra impetum po-
puli, & coronas eorum precatorias (nam
id ipsi postulabant) Sacerdotum manibus
ad ipsas thecas participandæ sanctitatis
gratiâ admouere visum. Quæ coronarum
siue etiam rosariorum aut eiusmodi alio-
rum ad fundendas preces armorum ad ca-
psas Martyrum applicatio, certè non mi-
nùs pia & laudabilis esse existimanda est,
quàm sudariorum aut velorum quorum-
libet (quibus è D. Augustini testimonio *Lib. 9. Cõ.
sess. c. 7.* adepta sanitas est) admotio ad sanctitatem,
& receptio ad sanitatem. Appositi quoque
ex instinctu pietatis ad easdem capsas illâ

E atque

82 TRIUMPHVS SACER

*Lib. 1. mi-
raculor.
6. 57.*

atq; alterâ die à populo votiui cerei, more
scilicet Ecclesiæ antiquissimo & miraculis
subinde illustri. Siquidem auctor est Gre-
gorius Turonensis ad Amarandi martyris
sepulcrum, quod apud Albigensem urbem
olim colebatur, solitos esse multo tempore
cereos, qui à peregrinis deferrentur,
missâ cælitus flammâ (quod ignis alius in
loco per diuturna bella inculto, in prom-
tu nō esset, suâ sponte succēdi. Quod qui-
dem miraculum, postquam locus inhabi-
tari cœptus, & facilè è propinquis sepul-
cro ædibus ignis haberi potuit, tamquam
sublatâ iam necessitate minus opus esset,
desijt: quamuis alia miracula, quibus pro-
pter morbos usus fuit, minimè desierunt.
Sed ad nostra reuertamur. Ea igitur populi
Atrebatensis deuotio in noctem durauit,
& mane summo redintegrata est. Nam &
valuæ illo die seriùs clausæ, & postridie
solito citiùs, quò vigilantia feruoriquè
venerantium gratificaremur, apertæ sunt.
Sacra item necdum orto sole, celebrari
cœpta, & panis immortalitatis cunctis pe-
tentibus operâ ad horum septimiam conti-
nuatâ distributus. Non tacebo hîc cæli ip-
sius suis cælestibus, hoc est, martyribus
TERENTIANO & socio obsecundantis, vt
mihi quidē & mecum multis alijs visum,
haud

S S. TERENT. ET SOC. M M. 83
haud improbabile indicium. Nam sub il-
lud ferè tēpus, quo Reuerendissimus An-
tistes ad lætum fælidxque auspiciū proxi-
mæ translationis faciendum, & sacris ope-
randum in Collegio expectabatur, paulo
obscurius cælum, & ventus à Scotiâ spi-
rans, certus in hisce plagis pluuiæ & qui-
dem pertinacis index, imò & rorantes gut-
tæ imbrium antenunciæ, aliquanto tem-
pore depluentes, metum haud mediocrem
contristandæ solemnitatis incusserant. Mihi
tū quidem in mentem venit idem Reue-
rendissimo nostro, & religiosæ, quæ itineri
accingebatur, pompæ euenturum, quod
euenisse quondam sanctissimo Antistiti
Gregorio Nazianzeno attentè obserua-
ram, nimirum procedenti illi cum Impe-
ratore magno Theodosio ad templū Con-
stantinopolitanum, quod hætenus Ariani
tenuerant, occupandum, & Ecclesiæ or-
thodoxæ vindicandum, aëris nebulosam
caliginem in ipso progressu, & tristio-
rem cæli faciem, quæ Arianos exhilararet, esse
visam; sed illis in templum ingressis, mox
aureum solem, & lætioribus quàm aliàs
radijs coruscantem, mæroris argumētum
Arianis, gaudij verò Catholicis, commu-
tatis contrariarum affectionum vicibus,
reddidisse; ita hîc fore spes fuit, nec sanè

falsa. Nam operante sacris Reuerēdissimo
 ecce detergi cælum, abire nubes, pluuia
 eiusquē metus euanescere, & sol ipse T E-
 RENTIANO eiusquē socio per totum iter
 grato ac iucundo vultu occurrere. Nam
 idem sol Duaco per Atrebatum in Scotiã
 tendebat, & fortè per viam nubibus im-
 perabat, vt ne per totum illud spatium,
 quã transituri Martyres erant, quidquam
 aquarum effunderent, sed tridui inducias
 paciscerentur, dum scilicet, & hodierna
 translatio, & crastina supplicatio, & tertiã
 diei sacra Diuis hospitibus palladica exer-
 citatio, secūdum essent exitum consecuta.
 Atque adeò sic factum. Nam quarto de-
 mum die satis magno impetu in siticulo-
 sas segetes genti rusticanæ non parum
 gratificantes sese, contentæ hactenus, gra-
 uidæ nubes exonerarunt. Cæterum sacrifi-
 cio Episcopali, à quo per temporis consi-
 derationem abstracti fuimus, magna vis
 hominum interfuit, elegans Musica acci-
 nuit, suavis instrumentorum harmonia
 subseruiuit. Re autem diuinã iam peractã
 conscendit vnus Patrum Societatis, & ex
 altiore loco frequentissimã populi con-
 cione de SS. Martyrũ laudibus ac trium-
 phis opportuna temporis & loco, spiritu
 feruido perorauit, suosquē identidem au-
 ditores

ditores ad eorūdem cultum, currentes, vt dicitur, incitauit. Quā finitā oratione fluxus refluxusq; vndantis ad sacras reliquias populi ingens fuit, prædulci interea commodulante Musicorum choro: sed tempus iter urgebat, sacraque auferri pignora, quamuis non absque magnā difficultate, ob impressionem vltimūm venerantis ac valedicentis populi, adigebat. Prodierunt ergo, vt pridie fecerant, eodemque habitu & ordine eius Collegij Patres, exceptaque manibus lipsanothecas, binis rhedis, quæ haberi potuerāt, pretiosissimis, singulas singulis imposuerunt. Prior rheda vndiquaque aperta, & serico aurōq; fulgēs, sedes erat socij S. TERENCE: in hanc bini Patres arcæ corporisque custodes sacro linteo stolaque induiti conscendimus. In eius fronte alius de nostris similiter candidatus, sed absque stolâ, crucem manu præportans sedebat, quem propter lucerna dependens ardentem præ sacris reliquijs cereum continebat. Talis cereus, vt hoc obiter dicam, cum olim S. Germani reliquie Parisios transferrentur, validissimo spirante vento in lucernâ extinctus, cum procul alioqui requirendum lumen foret, vi diuinâ redaccensus fertur. Rheda altera præcellenti & ipsa arte ornatuque, quam

86 TRIUMPHVS SACER
altera præstabilior, ipsius S. TARENTIANE
sacrum corpus vectabat. In eam ipse R. mus
Præful Atrebatensis stipatus duobus So-
cietatis Rectoribus Duacensi & Atreba-
tensi conscendit. Sedebat in ipsius fronte
similiter atque in alterâ vnus è Societate
lineâ candidâ superindutus salutiferum
signum gestans, cui propinqua lampas san-
ctis exequijs prælucebat. Hoc apparatus
iter sumus ingressi, quo comitatu iam
scribam.

CAPVT OCTAVVM.

*Sacrorum corporum à sacello Societatis ad
portam Atrebatensem deportatio, sup-
plicatio, comitatus.*

TOTA, quæ sacris mysteriis &
concioni interfuerat, multitu-
do, licet deuotioni & pietati sa-
tis dedisse in sacello videri pos-
set, tamen vnâ cum sacris corporibus, nō
è sacello tātum, sed etiam ex vrbe se effu-
dit. Plateæ, quâ transeundum fuit, hinc
inde, aut virentibus ramis, aut præstanti-
bus tapetijs, aut piis Sanctorū imaginibus,
lætitiâ, hilaritatē, religionem testa-
bantur. Multus populus cum facibus an-
tecessit, multus cum precibus est conse-
cutus. Nam è studiosis fuere inter facife-
ros

ros haud pauciores trecentis: istos sequebantur viri è ciuitate voluntarij: hos Magistri & Patres Societatis tedis omnes instructi, & honoris gratiâ colluminantes. Quibus succedebant propè à capsis sacris, qui vocum, cornuumque amicâ concordia festoque concentu personarent. Cuius æmula harmoniæ, quando templum propter viam occurrebat, æra campana suos ex altis turribus modulatorios cantus gratulantium more committebant. Porro quot in eâ viâ ad portam vsque vrbs domus ciuium erant (& erant fanè ob plurimum vicorum intercapedinem admodum multæ) tot è singulis ad demigrantes reliquias erant accursus, tot salutationes, tot datis receptisque rosariis antiquæ testimonia religionis. Sic ibamus, cum ecce è foro expediti in equis aduolare ad comitatum nobiles Artesiæ proceres, quos ipse totius eius terræ ac prouinciæ gubernator Illustrissimus, atq; Excellētissimus Princeps Ligniacus, velleris aurei Eques illustrem pompæ accessionem ducebat, ipse decus & ornamentum longè præcipuum. Qui postquam in primo occurso salutauere, tum se post rhedas sacrorum ossium baiulas, comitaturi receperunt. Noluit videlicet sine his Artesiæ luminibus,

bus, neque TERENTIANS ipse, neque eius consors Martyrij, in triumphum ex Artesianis finibus discedere, sed eos voluit, sibi vt obuiam venirent & beneuoli occursum fructum mererentur, sui è solo hospitali excessus certiores facere, & velut amicum vale, fidis probisque hospitibus, dicere. Beatos verò vos, ô perillustres ac generosi Proceres tali in Sanctos officio, tali ad amicos Dei occursum, atque haud scio, an vlla vos militaris expeditio beatiore efficere possit, quàm vna illa hodiernæ vestræ pietatis, acceptæ Deo, gratæ sanctis, laudatæ hominibus, effecerit. In quo sanè non plus vos honoris Cælitibus attulistis, quàm ipsi ab iisdem recepistis. Est enim, est quidem honos ipsorum Martyrum, tales nancisci principum virorum occursum honorarios, & tam magnus, quàm ij magni, qui occurrunt: sed ipsorum tamen tantis purpuratis, & in celo iam regnantibus obuiantium longè & amplior honos & fructus vberior: tãto scilicet, quanto ipsi Martyres iam victores, iam triumphantes, hominibus terrenis adhuc certantibus, adhuc periclitantibus antecellunt, plusquè pollent. Sic ergò ad portas vrbs cum Artesiæ gloriâ, & flore nobilitatis processum est. Quò
per

per densam & vndiquaque confluentem
 turbam vt peruentum, (nam procul ab
 æde illâ sacrâ & Martyrum hospitiâ abe-
 rat) tum tediferis datum signum, vti cum
 domesticâ nostrorum & aliorum ciuium
 turbâ, qui hæctenus comitati fuerunt, re-
 trò abirent: iam officio suo abundè per-
 functos esse: non de fore extra urbem per
 vias, qui occurrerent, qui comitarentur.
 Nam & è venerabilibus Collegij Cathed-
 ralis Canonicis nonnulli & equo, & rhe-
 dâ, itemquæ alij ciuium Atrebatensium
 (præter eos, qui vsque ab Duaco primâ
 luce aduenerant) comites se per totum
 iter applicuerant: vt nihil necesse foret
 vlterius præsertim teneros adölescentes,
 cum ardētibus tedis & pedites & ieiunos
 proficisci. Illïc ergo resonantibus super
 urbis portas buccinis lituisquæ, sic est
 facta discessio, vt tamen plurimi, pars ad
 quingentos, pars ad mille passus, cum fla-
 granti face præcurrerent, etiamquæ vlte-
 riùs nonnulli, donec ipsa teda fieret con-
 sumpta suaue in conspectu Dei & Sancto-
 rum eius holocaustum. Nobiles extra
 portam aliâ, quàm nos pro rhedarum cõ-
 moditate ceperamus, viâ præuolarunt,
 iam à latere, iam à fronte obequitantes,
 donec tandem in mediis agris, quarto cir-
 citer

citer

citer ab vrbe stadio equis exilientes ad pedestrem Sanctorum Martyrum venerationem atq; cultum ordine descenderunt valedicturi: primus Illustrissimus atque Excellentissimus Princeps, vt dignitate, sic pietatis officio; deinde Nobilissimus D. Baro Aussiaeus Lendij Gubernator, Illustris Vicecomes D. de Lathieuoy, Generosissimus D. de Nieurlet, aliq̄ue prænobiles eius terræ iuuenes, Artesiæ flos, rami Martis, olim præclara, vt viros ætatis, & pietatis initia spondent, Christianæ religionis incrementa.

CAPVT NONVM.

A portâ urbis Atrebatensis vsque ad fines Catuacenos iter, & pagorum occurfus.

AM hinc comitatus & occurfus extra ciuitatem breuiter narrare aggrediar. Primus qui occurrit pagus Atrebato Duacum tendentibus nomen habet D. Laurentij, medio ab vrbe milliari distans. Inde obuiam loci sacerdos cum magno rusticanæ plebis examine processit. Crux agmini præferebatur: ipse in albâ & stolâ incedebat, cæteri ponè sequebantur. Vt coram fuit, flexis poplitibus corpora Martyrum veneratus, ex antiquo more thus adoleuit:
deinde

deinde nobiscum vnà progressus propè
integrum milliare cum sociis templi ad-
ministris canendo indefessus confecit.
Nam velut accepto à Sanctis Martyribus
corporis vocisque nouo robore, tantum
agri spatium non interrupto cantu, donec
alius è viâ Parochus adueniret, peruasit.
Interea eius omnis comitatus ad lipfano-
thecas densus ardensque procurrere, &
quòd attingere ipsi osculo non valerent,
offerre nobis sua precum quotidianarum
instrumēta, vt illis propter sanctimoniam
affricarentur: nempe pro magno habentes
ad intendendam precationum pietatem
incitamento, talibus vti ad Deum exoran-
dum rosariis, quæ Martyrum captas atti-
gissent. Quo in exercitio (nam vt in vrbe,
sic extra urbem ferè perpetuum fuit) no-
bis manus in accipiendis reddendisque
eiusmodi orbiculatis precum notis fati-
gatae, non item animus fuit. Adferebat
enim tanta affluentium pietas ardorque
non laborem magis corpori, quàm animo
voluptatē. Ac ne quis huic occursum per-
inde quasi nouo aut superstitioso propter
crucem, propter thus, propter cantum,
propter istos captarum affricatus, quæ om-
nia inimicis crucis Christi & inuidis glo-
riæ Sanctorum satis odiosa esse intelligo,
mali-

maligniùs obstrigillet ; sciat hæc atque his similia , propequæ gemina , in florentissimo Ecclesiæ statu fuisse Christianis vsitata. Sanè prælatas cruces, tum in Reliquiarum transfuectionibus , tum in aliis quoq; processionibus , nolo post Iacobū Gretserum virum longè eruditissimum, & belli contra hæreticos scientissimum, qui de his speciali tractatu fusè egit , actū agere. Quòd si thurificatio rea agitur, perinde defendi potest. Extat apud Surium translatio Reliquiarum S. Celsi à Theodorico monacho ante annos ferè sexcentos accuratè descripta , vbi Egbertus Ecclesiæ Treuirensis Archiepiscopus , cum crucibus , cereis , thuribulis , omniq; Ecclesiastico apparatu , primùm ad B. Eucherij ædem, indequæ ad locum, in quo S. Celsi reliquiæ asseruabantur , toto interim Collegio altissimis vocibus Deum collaudantæ, dicitur processisse, ibiq; exceptis è sarcophago in mundam syndonē ossibus, cantasse cum omni Clero psalmū illum, tali in re ac tempore congruentissimum: *Exultabunt sancti in gloriâ: lætabuntur in cubilibus suis*. Deinde verò , vbi ad monasterium S. Eucherij (illò enim deferrebantur) peruentum est, ipse R.^{mus} Præsul Egbertus altâ voce inchoauit canticū:

Te

Tom. 7.
Surij.

Te Deum laudamus : cæteris ad finem vsq;
 cum illo prosequantibus . *Simul autem*
ardebant lampades : campanæ crepitabant : à
thuribulis, incensorum aromatum fundeban-
tur odores & suffitus : vt nulli esset ambiguum
in tam iucundâ processione, Angelorum pari-
ter atque hominum concentus summæ diuini-
tati in odorem suauitatis offerri . Ita ferè ex
 Theodorico Surius . Sed quandoquidem
 nos in agris iam versamur , & penè per
 omnes pagos cum thure SS. Martyribus
 venit obuiam, ecce in mentem mihi
 redit memoria magni illius Theophanis,
 eximij Christi confessoris , qui cælesti lu-
 mine olim collustratus, S. Nicephorum
 Patriarcham Constantinopolitanum tãtã
 locorum intercapedine procul à se distan-
 tem, vt nec eum videre , nec ab eo vicif-
 sim videri posset , tamen clarissimã men-
 tis acie , pro fidei patrocinio in exilium
 duci aduertit , eumquæ tametsi necdum
 martyrem, at martyrij saltem candidatum
 (siquidem à Leone Armenio Imperatore
 iconoclastã, pro defenso imaginum cultu
 in Procõnesum relegabatur) ipse in agro
 versans, illum in mari nauigantem in spi-
 ritu salutauit, suffituquæ ac cereis abeun-
 tem honorauit : qui vicissim eodem Do-
 mino reuelante, honores qui sibi à Theo-
 phane

phane

phane exhibebantur, internâ mentis intelligentiâ contemplatus, flexis in nauigenibus, manusque ad absentem protendens, amicissimis votis resalutabat *non visus non visum (inquit Cedrenus) sed spiritualibus oculis sese mutuo intuentes, & consentaneam alter alteri venerationem impertientes*. Et cum è vectoribus quispiam à Patriarchâ requireret, ecquemnam sublatis in altum manibus saluaret, *Sanctissimum, inquit, Confessorem Theophanem Agri Prefectum, qui lampadibus & thymiamatis nos excipit*. Ita Cedrenus. Et tum quidem Theophanes necdum erat confessor, sed breui postea (vti accidit, & Patriarcha prædixit) futurus. Planè autem octingentesimus iam annus, ex quo id factum est, præteruolat: siquidem ille erat octingentesimus decimusquartus, & hic quo scribimus, millesimus sexcentessimus decimusquartus. Ac ne tum quidem primum is honos thurificationis erga Sanctos vsurpari cœptus, quippe qui longè est in Ecclesiæ ceremoniis antiquissimus, quamuis si tum cœpisset, iam ipsius Dei instinctu cœpisse sat liqueret: quem esse hîc dumtaxat confirmatum, abundè contenti sumus.

Iam verò ad rosaria & religiosos contactus quod attinet, certè non magis hæc
affinia

affinia reprehensioni esse possunt, quàm rosas veras & vernos flores super Martyrum tumulos iacere, & iactos ad miracula sanitatû recuperare. Tametsi haud ignorem hostes nostros tam hoc quàm illud minùs probaturos, nisi ipsis D. Augustinum, quem frequenter in ore, & ferè solum habent, pro hac consuetudine disertè facientem citauero. Is ergo in illis suis *De ciuitate Dei*, omni doctrinâ & nostrâ & profanâ refertissimis voluminibus, ita de reliquis S. Stephani. *Ad aquas*, inquit, *Lib. 22. c. 8*
Tibilitanas Episcopo afferente Proiecto reliquias Martyris gloriosissimi Stephani, ad eius memoriam (id est arcam reliquiarum) *veniebat magnæ multitudinis concursus & concursus. Ibi cæca mulier, ut ad Episcopum portantem pignora sacra duceretur, orauit: flores, quos ferebat, dedit: recepit, oculis admonit, protinus vidit.* Hæc D. Augustinus. Verum nos in viam nostram redeamus, & populorum examina è variis pagis affluētium, sensim progrediendo attēdamus. Sic enim pagi alij post alios ad sacras reliquias subsecuti sunt, ut eæ semper in medio populo ambularint. Nec enim ij solum, qui in viâ erant, obuios se ferebant, sed etiam qui è remotioribus pagis ad viciniore, pro aspectu & cultu nouarum reliquiarû, aduene-

aduene-

aduenerant. Nam pago alicui appropinquantibus, tam multi tamque conferti occurrebant, vt nullus in pago remansisse putaretur: & tam multi rursus in pagis inueniebantur, vt nullus excessisse videretur. Nempe quantum hominum versus Atrebatum e proximis viae pagis exhibat, tantumdem in illos e vicinioribus Duaco succedebat; eoque semper maiora ac maiora subibant examina, quo Duacenis finibus magis ac magis propinquabatur. Sic factum olim imperante Arcadio refert D. Hieronymus; nempe omnium Ecclesiarum populos Samuelis prophetæ reliquiis, quæ e Iudæâ in Thraciam deferebantur, ita occurrisse, & tantâ lætitiâ, quasi præsentem, viuentemque prophetam cererent, suscepisse; *Vt de Palæstinâ, inquit, vsque Chalcedonem: (pro quo nobis est: Atrebato Duacum) iungerentur populorum examina & in Christi laudem vnâ voce resonarent.* Sic igitur ab vrbe Atrebato, vsque ad D. Laurentij, qui est primus pagus: sic ab hoc ad proximum, Cauereliâ appellatum; sic ab illo ad alium atque alium, consequente & occurrete mortalium ingenti numero, progressum est. Sed Montalbani (ij viae meditullium inter vrbes duas occupant) cum inter sese omnes de pietatis laude

laude

laude decertarint, vicisse tamen retrò relictos pagos visi sunt (hac enim laude, quã iure bono sibi conquisiuerunt, eos abs me fraudari non decet) qui conspectis eminus sacris pilentis, velut cælestiore perculsi horrore & religione se iecerunt in genua, ac magno animi feruore ad vicina iã corpora, quæ prostrati expectarant, benedictionem postulaturi accesserunt. Hic ipse Pastorum Decanus vnã cū loci Curione, eo quo par erat habitu, & sacrorum instrumentorum apparatu, obuiam aduenerunt, atque ad duo circiter milliaria sacras reliquias comitati processerunt. Tametsi autem Montalbani egregiè suo sint perfuncti munere, tamẽ facilè patientur mox venturos Vitriacenses, sibi vel hoc in genere æquari, vel aliquo etiam gradu anteferri: siquidem mora apud ipsos facta patientiorem noscendæ virtuti campū dedit. Est autem Vitriacum, pagus insignis ac frequēs, duobus circiter à Duaco Belgicis milliariibus distans, Episcoporum Atrebatensium possessio & dominium, in quo & ipsi castellum habent peregregium, & æstiuis solibus peraccommodum diuersorium. Hic quia statuisset R^{mus}. Episcopus nō nihil ad euitãdos vrētis Caniculæ æstus meridiari, templum suū ornarant rusticani

G

ele

98 TRIUMPHVS SACER
elegantius, aram recipiendis corporibus
erexerant solertiùs, vestiuerant floridiùs.
Ad hunc ergo pagum vt appropinquauimus,
ecce audiri partim è turri, cāpanarum
sonus: partim è solo, tympanorū murmur:
inde videri albatū Clerum cum crucibus,
labaris, alijsque sacris gestaminibus: inde
cerni expeditam cohortem cum arcibus
& sagittis. Nam cū sit apud eos vetus
sagittariorum sodalitas, visum populo ru-
sticano ad suæ pompæ maiestatem facere,
si hæc suis instructa armis iret sacris pigno-
ribus tympano præmurmurante obuiam.
Itaque iuit, & deuoto Diuis animo, quem
potissimè Dominus intuetur, sua illis ar-
ma, fascésq; submit. Cū vtróq; igitur
comitatu ad ædem progressum, depositisq;
in extructo tabernaculo, SS. Martyrum re-
liquijs, cantatum latis vocibus: *Te Deum
laudamus*: Preces à R^{mo}. Antistite ex ritu
factæ: indulgentiæ Episcopales cunctis ibi
venerantibus, ab Archidiacono pronun-
tiatæ: post quæ R^{mus}. in castrum suum ad
aliquātulam quietem secessit: populus in
templo perstitit, reliquijsq; adhæsit. Quæ
ocasio vni Patrum Societatis corporum
custodi fuit, verbo aliquo salutari animas
illas (siquidem prandij tempus erat) è re-
natâ pascendi. Quare de reliquiarū cultu
auidif-

auidissimis animis apposuit. Dum hæc
 Vitriaci geruntur, aduenerunt Duaco, tum
 alij multi, tum è iuuentute equites non-
 nulli, qui & ad urbem deducerent, & intra
 urbem ad D. Amati candidis facibus præ-
 micantes antèirent. Imò iam è circumui-
 cinis pagis complures cum suo Decano
 Curiones huc profecti, insigne Cleri ag-
 men, & dignum vrbe concentum conflarant.
 Cum hoc ergo duplici comitatu, post bre-
 ues in templo pomeridianas preces, rece-
 ptis in rhedas sacris corporibus, ad iter
 nos accinximus, ac multis præuolantibus
 labaris, & aëre ipso mistis lætitiæ vocibus
 per omnes agros lætius resonante, Duacum
 versus accelerauimus. Nec multum viæ
 feceramus, cum viri è vicinis urbibus &
 terris illustres ac prænobiles in occursum
 religionis ergò descenderunt: quos inter
 ad venerationem osculumque sanctorum
 corporum princeps accessit per-illustris D.
 Richardus de Merode Bappalmarum op-
 pidi Artesiæ Francis ad meridiem finitimi
 Gubernator: qui huius officij gratia à sep-
 tem eoque amplius leucis aduenerat. Acces-
 serunt & alij complures clari genere, &
 virtute minimè degeneres, sed potius no-
 uis Christianæ pietatis obsequijs genus
 suum clariùs illustrantes. Nec est enim,

quod quisquam veri honoris ignarus eos humile aliquod munus, ac non potius regium atque imperatorium putet imitatos: quando constat & Imperatorem Theodosium iuniorem & Serenissimam Principem Pulcheriam eius germanam, illum S. Chrysofomi, hanc S. Stephani reliquijs vnà cum eodem fratre obuiam processisse, & hanc quidē ipsius S. Stephani nocturno admonitu. De quo ita Cedrenus: *Vicesimo anno (imperij sui) Theodosius imitatione Pulcherie, magnā vim pecunie egenis distribuenda ad Archiepiscopum Hierosolymitanum misit, vnāq; crucem auream lapidibus pretiosis ornatam, quæ in Cranio (hoc est, in Caluarie loco) figeretur. Archiepiscopus vicissim ei dono misit reliquias dexterae manus S. Stephani Proto-martyris: quæ cum essent Chalcedonem perlatae, eā ipsa nocte Pulcheria Augusta S. Stephanum vidit, audientq; dicentem: Ecce impetrasti quod precibus tuis petebas, & ego Chalcedonem veni. Itaq; assumpto fratre obuiam sacris reliquijs profecta est, usq; in palatium illatis magnificēt templum beatissimo Stephano condidit, in quo & reliquias deposuit. Hæc Cedrenus. Nos in viam quæ Berbiriū ducit, reuertamur. Ex eo paggo ipse pastor nō secus atq; alij adhuc fecerāt, more priscaē religionis cū omnibus templi*

In Theodosio iunior.

SS. TERENT. ET SOC. M M. 101
tēpli vexillis, signis, alijsq; huiusmodi in
pompâ gestari solitis ornāmētis obuiauit:
thure, prece, cantu excepit, seq; ducē vlte-
rioris viæ prætulit. Iā tandē Duaco appro-
pinquamus: quare cursum intēdamus. Nā
vltimus hic pagus, ad quē iam peruenimus,
Lābra appellatur, estq; ipsi vrbi planē vici-
nus: & ecce quanta vis hominū nobis ac-
currit: nēpe illos nō fama tantūm triūphi,
sed & cōspectus Duaci ad triūphū appara-
tus huc cōcitauit. Adest, sed vix præ turbā
apparet, loci pastor: adesse tamē è vexillo
agnoscitur: adest verò iam cominus, nec
minus religiosē, quā vlli alij Curiones, mu-
nus suū ad præsentēs reliquias præstat. Vt
omnibus, ita huic benē de se merito faueāt
Dij. Nos progredimur, & sub hoc pago,
in primis agri Catuaceni limitibus, ciuiū
Duacensiu ardor se prodit. Sed eum à ro-
tundo iuuat, perfectōq; numero exordiri.

CAPVT X.

*Ciuium Duacensiu in extremis suis finibus ad
sacras reliquias occursum & in urbem
honorifica deductio.*

PLETAS vrbis Duacenæ, si vn-
quam aliàs, hodiè in primis pu-
blico pulcherrimæ religionis
actu testatissima sic euasit, vt crastino ta-

men die secū ipsa pugnatura, seque ipsam gloriosissimā victoriā deuictura sit. Verū huc quoque, amabo, in præsentem vesperam oculos. Siquidem ea crastinæ serenitatis, vt apparet, index futura est. Nam vt ruheret, hodie vi armorum suorum & ignium, Duacensis miles effecit. Vix enim relictā Lambrā in Catuaceno agro pedem posueramus, cū ecce in armatas turmas secundū prælongam sepē ordinatas, & fortunā vti, manusque conferere, si res ferat, paratissimas incidimus. Quatuor erant ciuium cohortes insigni armaturā. Constat cohors viris militari- bus ducentis. Habebant præterea Iurato- rum, quos vocant, secum coniuratas co- pias. Quibus & Ludi armorum se iunxe- rant. Hi sunt quædam iuuentutis pubes in armorum tractādorum tyrociniō exer- citata. Isti verò ciuium grandiorum sōda- litia, quibus tormenta bellica, bombar- dæ, arcus speciatim cordi. Visi sunt quoq; inter eorum manipulos quidam habitu Indico toti plumiei: quidā habitu Æthio- pico toti atrī, & vt B. Paulini verbo vtar, nocticolores: nobiscum autem erat equi- tatus, sed vt ille Gedeonis, lampadibus: ita hic solis facibus armatus: reliqua tur- ba inermis quidē, sed in duobus curribus
valde

S S. TERENT. ET SOC. M M. 103
valde confidens incedebat. At illi contra
equitatum nostrum densam hastatorum
aciem prætenderant, post quos bombar-
darii stabant ad displodendum genu con-
nixa: verum postquam sacra inuictorum
Athletarum D. T E R E N T I A N I & socij
corpora nobiscum esse & facere animad-
uerterunt, sciderunt se in latera, viamque
in sui medio tutam præstiterunt, Sancto-
rum Martyrum captas velut testamenti
arcam venerantes. Atque, vt fit nonnun-
quam in subitis atque improvisis militum
occurSIONIBUS, cum ipsi ex iisdem castris,
sed in diuersa longius euagati, rursus præ-
ter spem in sese mutuò incidunt, & suspi-
ciantes eminus alij alios, siue sint, an ho-
stium, adhuc ignari, cautè procedunt, pa-
rati, si quidem hostes fuerint, irruere, fe-
rire, sauciare, cædere, sed postquã eorum-
dem ducũ insignia recognõrunt: tum lætos
clamores tollunt: tum in aërẽ fundũt, quæ
in hostem parauerant tela, & quod instru-
mentum erat plagæ, indicium fit lætitia;
ita hic factum. Nã vt fæderis arcas agno-
uerunt, iam in plausum & gratulationem
ignes suos & puluereas flammæ sursum
emiserunt, atque in eundem nobiscum
sacra militiæ globum concesserunt. His
ergo aucti copijs ad urbem processimus,

104 TRIUMPHVS SACER
fed præ turbâ comprimentium, lento pro-
gressu. Nam metus fuit, ne rhedæ per non-
nullorum corpora, vt alibi accidit, aut in-
cohibili protrusione, aut equis territis tra-
herentur. Inde muros vrbis, spissis homi-
nibus velut densis nubibus obtectos ad-
spectabamus, & multos quasi è mœnibus
pendulos, casuiquæ proximis. Tanta erat
illinc visendæ, urbem ingrediētis pompæ
cupiditas. Eam pompam excepit de mœ-
nibus ingredientem lituorum ac tibiariū
dulcis sonus: eandem ingressam conuer-
sis ad interiora vrbis, eiusdem harmoniæ
modulis à tergo est profecutus. Postquam
intra urbē sacra pignora fuerunt, & omne
periculum abesse visum; tunc explodi, hîc
bombardæ, illîc tormenta bellica, & cæli
facies igneo colore pingi, vesperaque pro-
fausto crastinæ lucis indicio rubere flam-
mis volantibus. Hîc verò mirū quiddam,
nec sæpe antehac auditum contigit: quod
nonnulli, vt insigne Sāctorum iam hospi-
tibus suis ac clientibus fauētium accepere
argumentum. Nam supra portam, quā SS.
Martyribus in urbē ingressus fuit, dispo-
sitæ erant machinæ quædam bellicæ ful-
guris tonitruiquæ artifices numero vigin-
ti, (Cambras vulgò appellāt) harum vnā,
nescio quo consilio, euentusne explo-
randi,

SS. TERENT. ET SOC. MM. 105
randi, an aliâ qualibet de causâ, ore in ter-
ram demerso infoderant. Itaque incensus
puluis, cùm nec erumpere viâ solitâ, nec
intrusum in se vectē, quia in solum ver-
geret, euibrare posset: hinc totum ipsum
tormentum (res noua!) in aërem leuauit,
atque extra vrbs mœnia forinsecus altè
sublatum, vltra duplices, quibus vrbs cin-
gitur fossas, propter viam populo frequē-
tissimam trecentis septuaginta circiter pe-
dibus longè à mœnibus abiicit innoxio
impetu: qui, si dextrorsum tantisper de-
flexisset, ingentem haud dubiè inter con-
ferta agmina, quæ eam viam oppleuerant,
stragem edidisset. Mirādum sanè fuit vo-
lantem intueri integram incolumemque
machinam, neque inferentem damnū,
neque patientem. Quippe quæ nec fracta
dissilierit, nec integra nocuerit: imò po-
tius sui spectaculo atque saluēdi nouitate
& oculos pauerit & animos refecerit,
Verūm ad vrbs conuertamur, & in eā
prementes se ad nouorum hospitem con-
spectus atque contactus populos intuea-
mur. Nam sanè platea illa, quæ intranti-
bus prima occurrit, cùm sit ferè omnium,
quæ in vrbe sunt, latissima (& multæ ta-
men sunt insigni latitudine) angusta nihi-
lominus multitudinis confluxu comperta
est.

est. Quin & domorum fenestræ, imæ, mediæ, summæ, foramina omnia, plena oculis erant. Quibus nõ fuit alibi locus, tecta conscenderunt, quamuis non plana illa, sed accliu formâ, verùm ipsi non tam pedibus firmis stabant, quàm manibus ad pinnas pendulis adhærebant. Alios verò infernè constipatissimos vix submouere statuti à magistratu Viatores vel equo vel armis poterant. Vestita erat hæc platea, ibi peristromatis splendidibus, illuc ramis arborum vernantibus, istuc vmbri virore foliorum decussato colludentibus. Eius plateæ meditullium tenebat insigne excipiendis sanctorum reliquiis tabernaculum. Hoc virgines Agnetianæ (quæ sibi sub vnâ directrice persuaserunt vitam cõmunem cum pudicitia colere, & erudientis, formandisque ad omnem morum honestatem tenellarum puellarum animis ad æterna adspirare) hoc, inquam, tabernaculum eæ virgines sibi instruendum atque exornandum susceperant. Quatuor innitebatur fixis in quadrum columnis, quarum capitella tegmen coniungebat, figurâ ferè lampadis altè exsurgens, quod miscellanea variorum florum opere topiario contexta amænitas cum aureis intermicantibus stellis pulchrè illustrabat. Eadem capitella

pitella

pitella statuæ insignes atq; exquisitæ imagines commendabant: frons autem ipsa tabernaculi insititijs floribus artificiosè porrecta, grato adspectu emicabat: vbi propter apicem super colore rubeo fulgebat argenteis characteribus, SS. TERENTIANI eiusque socij Martyrū vernaculâ voce inuocatio. Ara media aurato peristromate fulgebat antependulo, quæ & instrata elegâti operis Damasceni mappâ, & argenteis instructa cum virgine cerâ candelabris & odoribus respersa suauissimis mirè fragrabat. Denique tabernaculi vtraque latera circumdabant contra turbam cancelli robustei simul & florei, ternis vtrimque candidis certo spatio collucentibus tedis speciosi. Iam cætera tacenti adiectitia ornamenta virgines veniam dabunt. Nam festino ad seriem processionis me accingere, cum prope adesse ad excipiendos optatissimos hospites, & mouêdum agmen, videam R.^{mum} Antistitem, cui in habitu pontificio cum sacro Archidiaconorum, ac Canonicorum comitatu appropinquanti omnis turba loco cedit, & debitum ex more Christiano honorem impertit.

CAPVT XI.

A portâ Duacenâ seu primo SS. corporum tabernaculo ad D. Amati processio.



D Agnetianum tabernaculum, ubi è rhedis exposita in arâ splēdidissimam fuerunt sacra corpora, R. mus Atrebatensis (qui Vitriaco Duacum aliâ quàm nos viâ, præuerterat, atq; apud R.R. PP. Capuccinos tantisper diuerterat, vestitu amictus pontificio, ijs pro officio excipiendis occurrit. Quod optimi Pontificis officiũ, qui Atrebato Duacum non aliâ de causâ quàm ad cohonestandam horum Martyrum pompam aduenerat, quàm sibi gratum acceptumque fuerit, nõ obscure fanè Magistratus præ se tulit. Quippe qui accepto eius aduentu, confestim nonnullos suæ dignitatis viros vnà cum Cõsiliario ad ipsum in R.R. Patrum Capuccinorũ cœnobio tantisper ex itinere quiescentem allegarit: qui ei totius Magistratus, imò vr̄bis nomine perbenignè salutato, partim felicem sacrorum pignorum accessionem congratularentur: partim etiam gratias agerent, quod ipse eâ ætate & illo tempore (nempe in æstu & senio) labori itineris non pepercisset: quo minus & Sanctis eum honorem & Dua-

& Duacensibus sui præsentiam gratificaretur: se quidem certè in magnâ spe esse Sanctos illos Martyres, quorum sacris corporibus, velut fidissimis pignoribus, in præsentiam donarètur, verè vrbis suæ Diuos tutelares fore ac patronos. Quæ verba R. mus Dominus, vt sanctæ pietatis atque optimæ spei plenissima, tam secundis auribus excepit, quàm nouis promissis atque votis cum magnâ & suâ & ipsorum lætitiâ atq; animi voluptate cumulauit. Sic ergo, vt in re procedamus, sic Pontifex noster Diuorum amantissimus, confertis vltro citroque ardenti affectu sermonibus, atque incenso ad cultum ac venerationem animo ad sacras reliquias occurrit: sic ingenti circumfusâ mortaliùm turbâ lætus excepit: sic omni conueniente comitatu supplex coluit. Iam enim antè huc aduenerant, ibiq; fælitem hunc Sanctorum pignorum aduentum opperiebantur Religiosi ordines, qui aut in viâ, quâ transeundum illâ die erat, habitabant: aut non procul D. Amati, vbi futura erat pernoctatio, domicilium habebant: sed vnâ quoque õnes Societatis IESV religiosi, & D. Amati clerus omnis aderat, quorum omnium, post aliquot ad primum illud altare in nouorum hospitem velut de cælo lapsorum
laudem

110 TRIUMPHVS SACER
laudem, hymnos præsuauæ musicæ modu-
latu decantatos, series procedēdi hæc fuit:
Primo nobiles atque ingenui in equis ge-
nerosis adolescentes viam hanc sacram &
floream candidis ac multilychnis facibus
latè præfulgurabant. Post hos ibant tibi-
cines, quibus sociati erant Musici, quos
Collegium Societatis è suâ iuuentute ag-
gregarat: qui alternis, hi vocū, illi instru-
mentorum, numeris accinebant. Illis pro-
ximi ducebant ex more suo Religiosorum
agmen prælatâ cruce RR. PP. Capuccini.
Quos longus ordo Clericorum Societatis
I E S V super atrâ veste linteam candidam
indutorum, ac ceræ virgineæ faces prælu-
centium ponè sequebatur: quibus tamen
se à fronte coniunxerat Virginis Assump-
tæ sodalitium, ciuibus ætate & virtute ma-
turis insigne, quibus quoque singulis in
manu tedæ ardebant, in mente pietas, in
fronte modestia. Nostris succedebant ma-
gno numero Patres Dominicani, & his
Cantorum D. Amati chorus, & huic, ipsi
Venerabiles eiusdē ædis Canonici, relictis
proximè ipsas capfas nonnullis de Socie-
tate senioribus Patribus, qui cum illis vnâ
in partem sacre vecturæ humeris subirent.
Per medium anteibant festo habitu, & ore
Angelico, ac paruulâ item staturâ, & in-
nocenti

S S. TERENT. ET SOC. M M. III
nocenti animo virgunculæ, quæ binæ &
binæ medium calathum spargendis ante
Diuos triumphales floribus odoriferis cō-
tinebant. Primi feretris succollauere Exi-
mius Dominus Ioannes Virendelius S.
Theologiæ Doctor, & Academiæ id tem-
poris Vicecancellarius, D. Amati Deca-
nus, vir senex & grandeus: & magno item
nata, Clariss. D. Ioannes Goethals Iuris
Canonici Doctor & Professor primarius,
eiusdem ædis Canonicus: & secundum il-
los, alij eorum Collegæ doctrinâ & virtu-
te præstabiles, vt quæ officij consortes, ita
huius obsequij æmulatores. Fatigatis in-
teruenere iam Patres Societatis, iam Pa-
tribus Canonici, & his atque illis, alij atq;
alij, vt vices fuerunt, & vires tulerunt. Pro-
ximè ipsa Martyrum fercula subsequen-
tur ipse R.^{mus} Antistes totius ordinis sacri
Princeps: mox vniuersus Duacensis Ma-
gistratus in habitu senatorio & stipante
satellitio augustus ac verendus, quorum
singulis, tum ad nouorum honorem patro-
norum ardentius celebrandum, tum ad
suam ipsorum clientelam illustrius conte-
standam, vt sinceræ pietatis igniculi in cor-
dibus, sic puræ faces in manibus ardebant.
Post quos ære ac ferro promicabant illæ
ciuium armatorum turmæ ac cohortes,
qui

qui nostris Cælitibus extra urbem occurrerant & salutârant. Cùm ad locum qui contra Patres Capuccinos est, peruenissemus: ibi paulo infra eorum crucẽ, alumni Seminarij Episcoporum, qui posticas domos ijsdem Religiosis ædibus contiguas habent, theatrum in pomario suo supra murum, qui plateam publicam attingit, extruxerant: vnde & intueri & venerari SS. Martyrum corpora, & concertu item musico eorum celebrare beatitatem pro voluptate habuerunt. Ita iucundis auribus perrectum, atque ex eâ plateâ in vicum qui S. Sampsonis dicitur, inter amœna ædium descensum est. Ibi nouum tabernaculum & secunda statio fuit, sustinebant tabernaculum pilæ senæ, partim tapetijs, partim herbeo ac floreo amictu coruscantes: supernè mysteriũ Annunciationis viuo personarum habitu representabatur: infernè à lateribus, Angeli cruciatuum Christi insignia prætendebant, quorum participes martyrio suo fuerant sacri illi aduenæ: quibus & alij bini Angeli de thuribulis argenteis gratissima odorum incendia affundebant. Quaternis summi theatri angulis inerant globi, globis cruces, crucibus ouastruthionia: sed hæc omnia è floribus industriè, carptimque digestis, venustulè concin-

cinnata. E cæli ipsius concauo alius super
 aram globus dependebat mali punici in-
 star, qui aliquoties suâ sponte apertus, de
 proprio sinu, Spiritus sancti imaginem in
 columbulâ demittebat: hæc binas laureas
 coronas Sanctis Martyribus congrua vi-
 ctoriæ præmia deferebat. Cuius pientissimi
 cura in ornatu fuit: cui & in ipso opere fa-
 tis per se magnus pietatis fructus fuit, &
 maior à summo remuneratore expectari
 meritò debet. Hic igitur impositæ altari
 capsæ, & modica cum cantu & precibus
 quies fuit: inde ad tertiam stationem pro-
 gressum. Ibi contra plateam, quæ rectâ ad
 D. Amati ducit, ara in quadricolumnari ta-
 bernaculo media, pereleganti florum di-
 uersicolorum contextu, formam conopæi
 referente, tãquam odorifero cælo supernè
 obtecta, mirificam suauitatem aspirabat.
 Nam & columnæ ipsæ arte floridâ elusæ
 suos in commune odores commiscebant:
 quorum capitellis singula insidebant ferta
 florea, ad augustum capitis Imperialis ge-
 stamen imitatione expressa: & in apicibus
 vexillula è filo serico semirubea semiquè
 candida volitabant: submissiùs autem ele-
 gantes argumētis & coloribus tabulæ pias
 quasdã sanctorū effigies oculis ingerebãt.
 Iam omnis aræ ambitus, viginti quatuor

H

fertiis

fertis imperialibus nobilitabatur: quæ scutū aureis coruscum stellis in medio continebant. Quatuor tabernaculi latera totidē aureæ coronæ cingebant: frontem verò ipsā ingēs nodus Gordius varijs floribus, & aureis folijs curioso commento intertextus gratiosè præuestiebat. Summum denique Conopœi fastigium geminæ magnitudinis corona imperialis cum viridi ramo triumphali altè eminulo subigebat. Nam cætera persequi ornamenta, quæ vel ingeniosæ acus dædalo artificio, vel solerti frondium, florumquē labyrintho, vel imaginum tabularumquē illici splendore renidebant, superuacaneum duco. Et ecce iam satis ad hanc aram moratum est, & cantui quamuis pio finis imponitur, & de genibus ac veneratione ad procedendum surgitur. Quare non sentio in hac viâ cessandum diutius: hoc breuiter tantum & generatim dicam, omnibus in plateis quâ fuit transitus, quâ te cunque verteres, manifesta exuberantis lætitiæ in hominibus, in ædibus, in compitis cerneres. Adeò ubique animorum hilaritas, domorum ornatus, viarum nitor effulgebat. Nec auribus quàm oculis voluptas minor: nempe hîc cōcordi argutarum vocum melodiâ: illîc multiplici æris cāpani applausu: alibi variâ
atque

S S. TERENT. ET SOC. M M. IIJ
 atq; alternâ instrumentorū harmoniâ: iam
 tormentorum mugitu perterricrepo: iam
 bombardarū murmure flammiumo: iam
 tubarum fremitu horrifono: iam tibiaram
 fonitu hilarifico: quæ vel è gestiētibus gra-
 tulabūdæ vrbis mœnibus, vel è turris sena-
 toriæ sublimibus speculis, vel è D. Amati
 editis culminibus, vel deniq; ex alijs seu
 theatris, seu stationibus, lætū ac iucundum
 melos resonabāt. Sic ergō (vt hanc festam
 lūcem, & omnē diei hodiernæ per vias pu-
 blicas solēnitatē concludā) sic omnis TE-
 RENTIANA pōpa in augustissimū S. Amati
 templū, alijs quidē multis ornamētis, seu
 eximiorum ac clarissimorū Doctorum, seu
 aliorum virtute & scientiâ præstantiū vi-
 rorum inter Canonicos comprehensorum
 excellens, sed tamen potissimè quaternis
 sanctis corporibus, Amati, Maurōti, One-
 firmi, Burdinelli, prænobile, cū suis nouis
 hospitibus ascendit. Qualis ibi statio, hos-
 pitalitas, vigiliæ, mox dicetur.

C A P V T XII.

Statio in D. Amati & vigilia.



DES D. Amati, in quā inductus
 cum socio Martyre T E R E N-
 TIANVS, ornatu præcipuo (nam
 dedicationis erat dies) resplēde-

H 2

bat:

bat : fragrabant herbâ odoriferâ , & flore multicolore pauimenta : parietes tapetibus ac peristromatis splēdicabant : columnæ imaginibus & picturis refulgebant ; omnia denique nouam ac præclaram solemnis gaudij speciem præ se gerebant. Ara in templi medio, senis, septenisue gradibus eminebat, non loci altitudine magis quam ornamenti pulchritudine & multiplicium luminariû , quæ venerabilis Collegij Canonorum dona fuerunt , splendore conspicua . Huc binos martyres sustulimus, quos cōfestim celeberrimus ille diuinę laudis hymnus, *Te Deum laudamus*, insigni prorsus recentis ac rotundæ musicæ modulatione (quam scilicet cantorum huius ædis Præfectus in hâc solemnitate nouissimè composuerat) nimirum bis senis vocibus, alteris super pneumatico organo, alteris ex odeo , mistâ dulcisonorum nabliorum melodiâ, excepit. Neque interea militaris turba iners atq; inofficiosa foris restitit: sed templum ipsum alacris piaquę obiuit , ac festo bombardarum murmure aliquoties circumtonuit , signo suæ in Diuos religionis clarissimo . Communibus illis lætitiæ canticis accessit R^{mi}. Episcopi singularis de Martyribus precatio, precatiori benedictio , benedictioni quadragenaria

SS. TERENT. ET SOC. M M. 117
naria solitæ benignitatis indulgentia. Hæc
auream coronidem illius diei publicæ ce-
lebritati atque pompæ imposuerunt, haud
tamen finem modumque privatae pietati.
Perpetuus enim deinceps ad cistas sacras
fuit hominum accessus omnis ætatis, con-
ditionis, sexus, sibi, Reique publicæ bona
ac salutaria poscentium. Neque interdum
modò, sed noctu quoque is Sanctorum ho-
nos atque veneratio perduravit. Nam tem-
pli fores totam noctem alijs post alios ad
beata corpora aduentantibus patuerunt:
& vigiliæ olim Christianis, præsertim flo-
rente Ecclesiâ, celebrari solitæ, hîc etiam-
num sunt usurpatæ: tam nonnullis à ves-
perâ ad lucem usque excubantibus, quàm
alijs inter sese vicissim succedentibus. Qui
vterque mos satis fuit prisca temporibus
usitatus: quod & sanctorum Martyrû per-
scriptæ vitæ, passim testatur: & SS. Patres,
partim in ijs orationibus, quas in ipsorum
anniuersariâ memoriâ dixerunt, partim in
alijs suis scriptis & commentarijs, lucu-
lentè tradiderunt. Nec possum quin ali-
quem ex huiusmodi vigilijs fructum anti-
quitus decerptum hîc in eorum gratiam,
qui ad D. TERENTIANI eiusque consortis
pretiosas reliquias peruigilarunt, paucis
recolligam. Ad B. igitur Agnetis tumulum,

H 3

cum

cum ab alijs, tum ab eius præcipuè con-
 sanguineis vigilabatur: cum ecce medio
 noctis silentio prælustris beatarum virgi-
 num exercitus, textis auro cycladibus &
 ingenti lumine irradians coram pernoctā-
 tibus præterit. Erat in eo agmine S. Agnes
 superis ordinibus cum recēti Angelorum
 gaudio nuper ascripta, simili quo sociæ &
 consodales suę habitu, lucequē fulgurans,
 & ad eius dextram agnus niue candidior.
 Cūctos ergō, qui spectabāt, stupor tenuit,
 cūm Agnes comites suas deprecata, vt ini-
 bi pauillulum vnā secum resisterent, do-
 nec parentes interpellasset suos, ita cœpit:
*Videte, ne me quasi mortuam lugeatis: sed
 congaudete mihi, & congratulamini, quia
 cum his omnibus lucidas sedes accepi, &
 illi sum iuncta in cœlis, quem in terris po-
 sita, totā animi intentione dilexi.* Quæ vt
 dixit, simul pertransijt. Sed ipsum visum
 ab ijs, qui tantæ gloriæ interfuerāt, in vul-
 gus sparsum, & quotidie latius manans ad
 ipsam quoque Constantiam Constantini
 Magni filiam peruasit. Erat Constantia
 virgo longè prudentissima, sed vulneribus
 adeo circumfessa, vt quantum est in cor-
 pore membrorum, id malè affectum, mi-
 seram miserum in modū cruciaret. Datum
 igitur consilium, vt factu pijsimum, sic
 effectu

effectu felicissimum: nempe ut pro recuperanda sanitate D. Agneti supplicaret: fecitque ipsa haud grauatè: & quamuis adhuc pagana, tamen ad illius tumulum noctem excubauit: tamque diu in precibus iacuit prostrata, donec tandem suauis correpta soporis dulcedine, sibi D. Agnetem Virginem videre visa est, talia blando affatu commonentem: *Constanter age Constantia, & Crede Dominum IESVM CHRISTVM Filium Dei, esse saluatorem tuum, per quem modo consequeris omnium vulnerum, que in corpore tuo pateris, sanitatem.* Sic B. Agnes. Ad cuius sospitricem vocem euigilat Constantia, & morbo omni exuta ne vestigiū quidem retinet vulneris. Hinc cum plenā incolumitate reuersa in palatium, patri suo Imperatori & fratribus Augustis testatissimā defert in corpore suo vberis gaudij denūtiationem. Coronatur ciuitas: publicè, priuatimque plauditur: subsidit infidelitas, subsilit religio. Nec hoc satis. Progreditur sanitas & lætitia longius: impetrat noua B. Agnetis cliens Constantia à patre & germanis, ut eius sospitrici basilica exstruatur: sibi autem ipsi ut in eā Mausolæum erigatur, suis imperat. Volat beneficiorum & benefactorū rumor, inde Agnetis, hinc Constantiæ, & quotquot ægritudine qua-

libet degrauantur, eos ad tumulum notæ
 sospitatis mittit infirmos, remittit firmos.
 Cuius miraculosæ sanationis exempla in
 suam ætatem perennasse auctor est S. Am-
 brosius. Quid quod & B. Agnetis exemplo
 perpetuam virginitatem coluit ipsa Con-
 stantia, & Constantiæ exemplo idem aliæ
 quamplurimæ, quæ nobiles, quæ ignobiles
 sunt æmulatæ? Sic enim idem auctor: *Per-
 seuerauit autem Constantia Augusti filia in
 virginitate: per quam multe virgines & me-
 diocres, & nobiles, & illustres sacra velamina
 susceperunt. Et quia fides, mortis damna non
 patitur, usque in hodiernum diem multæ vir-
 gines Romana Agnetem beatissimam quasi in
 corpore manentem attendunt, & eius exemplo
 agentes viriliter, integræ perseuerant: credentes
 sine dubio, quod perseuerantes perpetuæ victo-
 riæ palmam acquirant. Hæc ego Ambrosius
 seruus Christi dum in voluminibus abditis in-
 uenissem scripta, non sum passus infructuoso si-
 lentio regi. Ita ille: siue est magnus ille Am-
 brosius, siue alius minor, sed magni æmu-
 lus. Quæ ego propterea in medio posui, vt
 qui ad SS. Martyrum T E R E N T I A N I
 & socij reliquias in D. Amati vigilarunt,
 suarû videant fructum vigiliarum, etiam si
 necdum iam quidem plenè redditum,
 olim sanè reddendum. Oppugnauit qui-
 dem*

dem olim tales vigilias iniquus nomini suo Vigilantius: sed eum egregiè D. Hieronymus acrimoniæ suæ umbone repulit, & Dormitantium potiùs quàm Vigilantium meritò appellauit. Se verò patronū eiusmodi extitisse vigiliarū, idem D. Hieronymus hisce perscripsit verbis: *De vigilijs, inquit, & pernoctationibus in basilicis Martyrum sepe celebrandis, in alterà epistolà quam ferme ante biennium S. Ripario presbytero scripseram, respondi breuiter.* Quare vt nec alijs in rebus, sic nec in hisce vigilijs ab antiquo Ecclesiæ more, vt hinc planè liquet, descitum est. Neque verò in sacræ æde dumtaxat, sed alibi quoq; à non paucis, etsi alio in genere, pro curâ scilicet craftini apparatus, non parua noctis pars fuit euigilanda. Siquidem multo ante lucem opera in plateis passim feruere visa, & diem ipsum non lux solis, sed pietas animi, ante tempus efficere, eumquæ spacio quidem durationis longum, sed laboris appetitu & negotij acceleratione exiguū. Itaque cum huius nouæ lucis principio veniet alterius narrationis exordium.

CAPVT XIII.

*A. D. Amati ad Templum Societatis IESV
instituta supplicationis ordo & series.*

DIEM ante idus Iulij negotijs & iuri dicūdo aliàs permissū, R^{mus.} Atrebatensis Episcopus, SS. TERENCENTIANO & Socio Martyribus saltem dimidiatū, in vrbe Duacensi, respectu præsertim supplicationis, esse iussit: sed vrbs ipsa pijs assueta semper addere potiùs quàm detrachere institutis, non vt festum modò habuit, sed vt festissimum coluit: nec dimidiatū dumtaxat, sed totum ac solidū cultui Martyrum, potissimā saltem sui parte, dedicauit: & quidem tantā mortaliū ad venerāda altaria vltro, citròq; cursantium multitudine, vt si turbam hominum per vias hodie attenderes; annuas nundinas diceres: Si fluxū ad ædes sacras; Pascha, aut Natalitia: si cultum, ornatúsq; vicorū; non vrbs prima, alteraūe encænia; non optatæ pacificationis cū vicinis Regibus hilaria hilarissima: non Regum, Imperatorumūe iunctos vno eodemq; die aduentus: sed nouū quidpiam istis omnibus longè maius, velut lætissimum de inuictis hostibus, ob inexpectatam illustrem victoriam, plenum opimis spolijs triumphum.

Adeo

Adeò numquam magis incaluisse ciuium studia in opus aliquod, siue amoris, siue pietatis, exstat recordatio. Nondum erat processio, & viæ à templo ad templū procedentibus erant confertissimæ. Nubilum aliquantis per cælum fuit, & raræ guttæ multis pluuiam timentibus deciderūt: sed neq; moram aut impedimentū apparatus attulerunt, & priusquam in publicū exiretur, cæli facies suda fuit, & nec æstu feruida, vt artus liquefierent: nec intemperie humida, vt languerent. Quare conuenerūt sub horam octauam ad Diui Amati omnes religiosæ huius vrbs familix: & quicumq; ex vtróq; tam sacro, quàm ciuili ordine, ad pompam & comitatum facturi erant: fuisq; inibi ad Deum diuósq; precibus, postquam sacra mysteria (quibus solemni, & præcipuo ritu, siue duplici, vt vocant, officio de S S. Martyribus operati sunt eius ædis Canonici,) peracta fuerunt; tum, quibus ea incumbere cura, adornare vniuersam pompã, accire in destinatas partes vnãquamq; turbam, distribuere membris singulis suos ordines, dare primis signum incessus, secundis ac tertijs sequelæ indicium, cæteris deinceps nutu aut virgã annuere, atque postremo totum corpus hac serie moueri: Tenebãt principem locum
 è stu-

è studiosis humanarum artium, pueri, pu-
 berésq; scenico habitu, pio tamen, sancto-
 rum T E R E N T I A N I, & socij illustrem
 in fidei certamine victoriam, triūphumq;
 repræsentantes. Erant ij numero ferè sep-
 tuaginta, & bonam partem equites. Quo-
 rum primi in veste candidâ è bysso, aut
 tenuissimâ carbaso resplendebant: alij to-
 gis cæruleis, quas bracteata modicis cer-
 tîsq; interuallis stellulæ distinguebant, va-
 rietate spectabili oculos feriebant. Atque
 ex his isti lauros, hi gazas & monilia, relata
 de hostibus victoriæ monimenta, præpor-
 tabant. Quibus proximi ad equitabant in
 amictu bombycino purpurati Martyres:
 inter quos ij eminebant, quorum sacra-
 tissimæ exuuiæ his aliquot annis proximis
 in Belgium nostrum delatæ sunt: nempe
 S. Victor Insulensium patronus, S. Flo-
 rentius Atrebatensium, S. Seuerinus Va-
 lencenatum, S. Deppa Tornacensium, S.
 Polychronia Dionantensium: quibus sin-
 gulis singuli socij in terris quidem inno-
 minati, in cœlis autem nomine nouo no-
 minatissimi latera cingebāt, omnes capita
 fronde redimiti, omnes victricem laurum
 manu prætendentes. His permisti equites
 alij vario colore ornatūque, multiformia
 classium suarum, in quibus operam Musis
 naua-

nauabant vexilla, seu eloquentiæ, seu poë-
 seos, seu triplicis grammaticæ diuersis di-
 stincta coloribus, & singula byssinis atq;
 pictis imaginibus illustra altè gestabant.
 Ea iam pridem nobilium adolescentū curâ
 & studio in concertationes Palladicas &
 præmia victoriæ scholis suis exhibita li-
 berali animo fuerant. Ducebantur dehinc
 in triumpho gentiles tyranni habitu bar-
 barico, toruis in terram obtutibus & sequi-
 tiam adhuc in ore vultúq; retinentibus.
 Ducebātur & illa mōstra fortibus Christi
 athletis semper aduersantia : fames, nudi-
 tas, tribulatio, angustia, persecutio, gla-
 dius, & cætera eius generis, de quibus futu-
 ra postridie declamatio triumphātem erat
 exhibitura S. T E R E N T I A N V M, & in
 T E R E N T I A N O omnium Christi pu-
 gillum conflictus atq; palmas viuo colore
 expressura. Trahebantur ergò ante S. T E-
 R E N T I A N I currum ista malæ fortunæ,
 seu dæmonis potius, ludibria. Erat autem
 currus ipse, qualis ferè pingitur triūphan-
 tium, à fronte apertus & liber, ternis in-
 trorsum gradibus assurgens, rotis radijsq;
 variè picturatis diuersicolor, inauratis cir-
 cumquáq; tapetijs effulgēs : quæ quattuor
 equi generosissimi & fluentibus, ex ephip-
 pijs, Tyrij coloris indumentis, aureo stel-
 lula-

lula-

lularum passim micantium agmine oculos præstringētibus, nobilissimè phalerati ductabant: ipse S. T E R E N T I A N V S cum Socio martyre summo in fastigio sublimes & laureati cū trabeis è telâ argenteâ figuris & coloribus variâ confidebant: quos stipabant eodem in curru sui Angeli olim in vitæ certaminibus duces & auxiliarij: nunc coronas victoriæ martyrum testes gratulabundi deferentes. Ponè currum, manu ducebantur nullo sessore equi victores, frenis, ephippijs, phaleris, auro, serico, opere Phrygio nitentibus superbi & gloriosi. Hos subsequēbatur plenum maiestatis agmen: Throni, Dominationes, virtutes, Principatus, in equis omnes generosis & vestibis splendidis, sed diuersis. Nam alij rubris, alij candidis resplendebant. Imò nonnullos totus Imperatorum habitus insigniebat. Atque hæc fuit sacræ pompæ frons in primis conspicua atque illustre principium: cuius splendore ad pietatem & Diuorum gloriam egregiè comparato, multos accepi internâ quadam religione ac deuotione fuisse perfusos. Huic igitur insigni principio, & aureis, vt Pindaricè loquar, columnis, modico propinqua interuallo cætera iuuentus Aquincinctini gymnasij, flos litterarum, probæ
insti-

institutionis decus, optima virtutum semētis, tam qui è quinis studiorum humaniorum classibus, quàm qui è quadruplici Lyceo (sunt enim in hoc Societatis Collegio quaternæ philosophorum scholæ, octonis vtentes philosophiæ magistris) cuncti cum tedis ac facibus geminato ordine succedentes, nec magis ardentibus luminum, suorum flammis, quàm præstabili animorum pietate atque modestiâ indigenis notâ, alienigenis admirandâ longè latèque collucebant. Hoc insigne tam puerum quàm impuberū agmen, Sodalitij Parthenij ciues, vt maiore natu, sic solidiori virtute clari, maturo gradu subsequabantur, & cerâ item purâ colluminabant. Exinde sacer R R. Patrum Capuccinorum ordo cum solitâ mentis terrenorum contemtrici submissione prodibat tacitè precabundus: post quem gradiebatur lectissimus musicorum chorus, hymnos varios in martyrum laudes pio suauiq; concentu modulantium. His Religiosi Societatis IESV lineis candidis super togâ amicti, & virgineis facibus dextras armati magno sanè numero, ob fixū in hoc Duacensi Collegio Theologiæ Philosophiæq; Seminarium, proximi subibant, quàm ore taciti, tam mente meditabundi. Quorum comi-

nus

nus vestigijs insiltebāt R.R. Patres Franciscani, quos vulgus Cordigeros appellat, magno quoque ipsi numero, sed animi affectu & pietatis sensu itē magno. In quorum passibus præclara R.R. Patrum Dominicanorum familia propinquo gradu se ferebat, grauiter modesta & modestè grauis. Postremò denique è Religiosis loco venerabiles Trinitarij veniebāt, viri Christianis à Turcâ aut Persâ aut Tartaro redimendis vnicè deuoti, & crucis, quam in animo colant, in veste candidâ indicium præferentes: quorū redemptas, & reductas ex vnguibus barbaricis prædas Christiani generis ac nominis, duce ipso R. Patre Prouinciali aliquot ante annos hîc Duaci vidimus. Hasce omnes arctioribus Christo vinculis adstrictas cohortes, primò inferior clerus, deinde paræciarum vrbis Pastores, tum admodum venerandi vtriúsq; sacre ædis, tam D. Amati, quàm D. Petri Canonici, tanquam nouum candidatorum agmen ætate & dignitate in primis reuerendum, congruentissimâ serie excipiebāt. Quare horum medio ipsa S S. Martyrum preciosa feretra, partim ab ipsis, partim à Patribus Societatis senioribus aut Rectoribus (stipabant enim ea ex horū numero circiter viceni, siue ad illuminandum face instructi,

instructi, siue ad succollandū stolā induti) ab altari ad altare per vices portabantur. Præcinebant porro ex vtróq; Canonicoꝝ Collegio cantorū chori, iam hi, iā illi, partitis ex æquo vicibus, vt nimirū pro occurrenti stationū diuersitate (ne qua viæ pars festo cātu vacaret) variatis vocibus & vicibus mutuā atq; laudabili æmulatione alij alijs succederent. A secundo feretro, quod erat S. TERENTIANI, exiguāq; ab altero, vbi Socij corpus erat, intercapedine disiunctum, nemo propius quā R^{mus}. Antistes aberat, qui veste pontificiā, & sacerdotali angustus comitatu, tantū non ipsa corpora, quæ proximè in oculis erant, attingebat. Ab eo secundus instabat cum suis viæ præductoribus, quos bedellos vocant, Magnificus Rector Vniuersitatis, & cum eo vnā eiusdem Academiae, siue Eximij Theologiæ, siue Clarissimi Iuris & Legum, siue Expertissimi Medicinæ Doctores, eoque omnes quo eiusmodi publicis in cætibus solent, habitu cultūq;. Tertio loco incedebant Duacensis territorij (Gubernantiam hīc vocant) Magistratus. Iam ipsius vr̄bis Senatus vniuersus in togis Curialibus, omnis pompæ, de quā officio & beneficio optimè omnium erat meritus, velut aurea coronis, prælatis

130 TRIUMPHVS SACER
ardentibus tedis ardentio rem suam in SS.
Martyres animum testabatur, & testatio-
rem quoque totus ille, qui cōsequebatur,
populus Magistratui suo moribus & pie-
tate conformis honorificè comitando fa-
ciebar. Hic ordo, hæc series processio-
nis fuit. Iam stationes & breuiculæ quieti aræ
structiles iustis inter se spatijs discrimina-
tæ, prout nobis in viâ occurrent, descri-
bentur.

CAPVT XIII.

*Statio apud R.R. P.P. Dominicanos, &
inde ad forum vsque progressus.*

PRIMA quæ occurrit à Diui A-
mati forum versus tendentibus
statio, contra P.P. Dominicano-
rum ædem sita erat. Ad quã dum
adimus, ecce audiri & post & ante & inter
pompani è summis turribus, simul Diui A-
mati, simul Dominicanorū, sed præcipuè
domus Senatoriæ (nam inde spectari des-
cendens à Diui Amati processio poterat)
campanarum multifonarū, maximè tubis
tibijsq; à Curia fastigio intercurrentibus,
gratissima auribus melodia. Nec immora-
mur tamen, sed progredimur; paululumq;
progressi prospicimus à fronte quidem e-
gregiè structum & speciosè instructū ta-
ber-

bernaculum : ad latus verò dextrum pul-
 cram , sed in imagine , Beatorum turbam,
 virorum mulierumque, et si pictam, tamen
 viuis & spirantibus simillimam. Exposue-
 rant enim R R. P P. Dominicani propter
 domus suæ vestibulum super viridi panno
 in muri longitudinem, quæ penes se habe-
 bant carissima cimelia, hoc est ordinis sui
 clarissimos viros illustrissimásq; feminas,
 vitæ huius munere olim cælo tenus præ-
 clarè functos, & eos quidem oris ipsius o-
 culorumq; lineamentis ad viuū expressis,
 facilè, si quis antè nosset, recognoscendos.
 Quod sanè pulcrum & ad excitandos imi-
 tandæ pietatis igniculos aptissimum erat
 spectaculum. Ibi S. Dominicum videbas
 tanti ordinis tantum Patriarcham, virum,
 quidquid à Deo precibus efflagitaret, im-
 petrandi potentissimum. Ibi S. Thomam
 Aquinatem generis claritate perillustrem
 vitæ sanctimoniâ admirabilem, doctrinæ
 soliditate incomparabilem, nominis sui
 famâ immortalem. Ibi S. Antoninum
 è perfectissimo religioso, vrbis Florentiæ
 Archiepiscopum eruditione & virtute flo-
 rentissimum. Ibi B. Ambrosium Senen-
 sem, Diuini verbi Ambrosiâ populos
 pascentem & igneo inter concionandum
 feruore in aërem de solo eleuatum. Ibi

S. Hyacinthum insigne Poloniæ decus, virum in corpus asperum, in animam benignum & D. Virginis alloquio & Angelorum consuetudine etiam in vitâ mortali dignatum. Ibi S. Raymundum decretalium primæ sedis epistolarum collectorem exactissimum, sed gratiâ & miraculis quàm doctrinâ quavis eximium. Ibi B. Ioannem Vercellensem, virum tam minimè ambitiosum, quàm multorum punctis atque suffragijs ad summi Pontificatus dignitatem suadente virtute ambîtum. Ibi S. Petrum Martyrem quasi rosam vernam de Manichæis sentibus enatam, & puncturis hæreticorum fodicantibus, sanguinem in fidei confessione perstillantem. Ibi è mulieribus S. Catharinam Senensem, virginem in tenellâ & puellari ætate visis cælestibus ad pietatem allectam & allactatam, eandemque in æui maturitate ipsi Christo longè familiarissimam. Ibi Margueritam Regis Hungariæ filiam præ sceptris & diadematibus viles Christi pannos & voluntariam religionis inopiam eligentem. Ibi denique ex eodem ordine complures alios velut quasdam virtutis faces erat intueri. Hîc ergo depositis in arâ reliquijs brevicula quies & mora, dum hymnus in patronos Martyres decâtatur, facta est.

est.

est. Postquam moram noui se obtulere
 sacrorum pignorum cupientissimi delato-
 res. Nempè eximius D. Georgius Colue-
 nerius S. Theologiæ Doctor, nunc S. Petri
 Præpositus multo dignissimus & almæ
 huius vniuersitatis Cancellarius amplissi-
 mus: & cum eo vnà admodum. R. D. Ar-
 noldus à fine, eiusdem Canonorum Col-
 legij Decanus, vir ætate grauis, pietate sin-
 gularis. Hi ergò acceptis in humeros sa-
 cris feretris læti alacresq; ab hoc taberna-
 culo & statione processerunt. Quamuis
 nō deessent, quæ & sui spectaculo & vico-
 rum ornatu gratissimum vndiquaq; odo-
 rem, herbis, frondibus, floribus diffunden-
 tium, ad longiores moras inuitarent. Nam
 & domus ipsæ, quacunq; transibatur, vel
 virentibus ramis, totisque interdum arbo-
 ribus, siluarum amœnitatem æmulaban-
 tur, vel pretiosis aulæis & versicoloribus
 pannis picturifue conuestitæ, magnatum
 internos paratus exhibebant. Et quum
 haud longè hinc infra D. Catharinæ sacel-
 lum pons lapideus ab ædificijs nudus sub-
 terlabentem fluuium iungat, ne vel is in-
 uestis inornatusq; remaneret, placuit fixis
 hinc inde palis, vtrumque pontis latus ad-
 iectis velamentis & imaginibus commu-
 nire & perinde quasi ponte sublato con-

tinuatâque muris ædibûsq; plateâ, solerti pietate & ramoso virore obducere. Hinc ad maius macellum est descensus. Itaque Laniones (quorum satis nota est præclaris pro tuendâ fide facinoribus pietas) suâ hîc esse religionis iudicauerûnt, vt aliquod præ suo regno SS. Martyribus fixû à Magistratu tabernaculum suo marte adornarent. Et factû examussim. Nã & holoserico panno vndique circumamictum egregiè purpurauit, & locus denique ille totus, ne sigillatim omnia persequar, sedulam eorû curâ diligentiamque insigni Martyrum amore coniunctam cõmonstrauit. Vbi postquam nonnihil cum suauitate cantus & Diuorû ueneratione est immoratum, inde latâ & accliui plateâ ad ciuitatis Palatium, siue urbanam Curiã, alijs sacerdotibus humeros feretro submittentibus, pleni sono dulcissimo conscendimus. Nam in illâ editissimâ & elegãtissimâ Curix turri erant in altioribus speculis, hîc erex campanulæ musico strepitu sonoræ, illîc tubæ martiali fremitu clangentes, istîc tibiæ dulcistrepo modulatu blandientes: quæ seu mistim seu diuissim aures, animosq; suauissimo piæ exultationis sensu attentos attonitôsque ita afficiebant, vt in vico quamuis frequentissimo nulla vox, nullum murmur aliud, quam

quàm æthereum illud in vasto atque inani spatio liberè palabundum audiretur. Neq; verò minùs infernè oculi pascebantur, qui, quaquà versum exirent, in multiplicia spectandorum ornamentorum genera incidebant; cùm scilicet à dextrâ læuâque longam contiguarum ædium seriem velut confectis è mure Armenio (& is habitus imperatoriâ maiestate dignus censetur) perpetuis tapetibus prætextam, rectissimâ lineâ, plâtatis videlicet in directû modico à domibus interuallo arboribus mirabundi intuerentur, & intuendo falli gauderent: siquidem non veros muris Armenij tapetes, sed ingeniosa solertium matronarum commenta intuerentur, quæ tenuissimas telæ Cameracenzæ carbasos appictis, vt in eo visuntur animali, diuersicoloribus maculis, veros coëgerant eiusmodi preciosos habitus officioso & grato prætereuntibus mendacio ementiri. Ibidè loci, hoc est paullo altiùs quàm est macellum, dedère in paruulo theatro seu potiùs frondoso antro, S. Antonium & S. Paulum amicos & hospites eremitas, quos supernè ex aduersis tectis, non iam fallax, sed verus viuusq; coruus prolixâ colloquutione fatigatos, etiamq; famelicos, integrum rostro panem gestans (cùm dimidia-

tum prius solebat) simplici & volatili prandio recreatum deuolauit. Addiderant inde malignos tentatores, inde benignos Angelos, remq; fecerant ex arte & pietate suâ non contemnendam. Vlteriùs aliquanto progressis porta triumphalis triplex medio in vico sese ostentabat, tantâ quanta platea est, latitudinis (est vero inibi admodum lata & sublimibus ædificijs, præ quàm alibi, speciosa) quæ viridâibus folijs & panno concolore, alijsq; iniectijs ornamentis, delectabilem subeuntibus vmbra transitumq; præstabat. In arcu summo collocata erat vtrimq; inter Herculeas columnas Aquila Cæsarea biceps: Latus dextrû ipsa Serenissimorum Belgij Principum insignia præuelabant: læuum autê indigena Duacena ciuitatis stemmata: nempe quasi & Cæsar ipse, & Principes nostri & Catuacum, per sua quique signa Diuis Martyribus venerabundi & faustis læti ominibus obuiarent. Iam verò contra Domum Senatoriam in ipsius late plateæ meditullio, sub affabrè elaborato, ornatoq; tabernaculo altare vnum eminebat egregio pretiosorû cimeliorum, & vasorum auro argentóq; collucentiû splendore perelegãs: cui aliquot pueruli formâ eximiâ & habitu angelico conspicui assi-

ste.

stebant, qui appropinquantes SS. Martyres votiui thuris odoramentorumq; suffitu exciperent. Excepturi verò erant, aut potius abeuntes profecuturi etiam viri, sed formâ martiali, sed habitu militari, & pro thure, igni: pro suffitu, strepitu: pro fumo odoramentorum, puluere bombardarum: ritu sanè quidem & more diuerso, sed cultu & interno amore pari: Nam hi erant diurni ad domum Senatoriam ex instituto quotidiano vigiles, sed nunc quàm aliàs, propter magnitudinem transeuntis pompæ, ad bellicam speciem exhibendâ armatiores, & propter exornandam Martyrum præsentiam, ad ferreas fistulas puluere parto exonerandas animatiores. Itaque præteritis cum suâ pompâ Sanctorum feretris, gaudium flammâ, plausum bombo, animum bombardâ lætabundi prodiderunt. Sed video forum & iuxtâ in theatro, Virgines. Nihil illis cum fremitu armorum, cū strepitu bombardarū. Itaq; disiunctim de illis & seorsum dicendum.

CAPVT XV.

Transitus à foro ad templum D. Petri.



OTAM fere à domo Senatoriâ plateam transieramus, foroq; pompæ decus imminebat, cū ecce tibi à dextris in theatro

Vir-

Virgines & à frōte haud multo remotiūs, in primo foro, sese in excelsi tabernaculi fastigio ostendit Samson stator. In plateâ quidē ipsâ Virgines erant, sed imâ: Samson extra, duplex oculis gratissimum spectaculum. Nempe, si quid esse totâ in vrbe visu dignū oportuit, id præsertim & apud Magistratus palatium, & in ipso totius populi foro spectandum fuit. Quare præter iam dicta, præter fulgentes bysso, serico, auro, gemmis, aras, atque magnificos alios apparatus, hoc accedebat in extremo illo vico extremum, quod extremis olim temporibus aduentante Christo non iâ in imagine, sed in re ipsâ & veritate spectandum est: Nempe sapientum fatuarumque Virginum parabola & discriminē: quod fortè hîc proximè à foro est idcirco exhibitum, vt ne longè oleum fatuis esset requirendum: sed tamen, dum emtum irent (adeò subito venit sponsus & abit) clausæ sunt fores, & illæ exclusæ. Sit itaq; vobis, ô Virgines, ô Religiosi, ô ciues, sit semper vobis & oleum caritatis in promptu, & auris ad sponsi vocem attendita, & pes ad eius sequelam expeditus. Tantùm vos huius esse memores in transitu velim. Nã ad Samsonem, iamdudum me ad se, ipso statu suo, & gestu tacito vocantem festinus

nus accelero. Et Samsonem (ne vos hoc fallat) appello, tam ipsum forense tabernaculū, quàm ipsius tabernaculi contabulatores fabrum: cuius vtriusque appellationis percommodam rationem ipsa totius operis descriptio planam faciet. Qui enim hisce operibus conficiendis à Magistratu præfectus fuit, cum esset in lignariâ fabrilis arte insignis dædalus, à nonnullis fori incolis rogatus, vt & loco ipso & sacris corporibus dignum fabricaretur cum arâ mobili tabernaculum, cuius fastigio Samsonem direptas è suis cardinibus Gazenses portas fortibus lacertis sustententem superponeret, is pro virili facturū se recepit: & fecit sanè, quàm opinio erat, melius & quàm spes ferebat, admirabilius. Quippe qui non ligneum aut fictilem aut lapideum Samsonem, sed semetipsum operi suo animatum colophonem imposuit, factus derepentè è simplici fabro lignario egregius extemporaliq̄ue statuarius. Siquidem censuere complures neque Phidiam, neque Praxitelem propiùs quidquam ad viuentis similitudinem hoc vno simulacro effinxisse: cum scilicet statuam se videre, sed homini similitudinem crederent. Id vt pateat liquidiùs, non pigebit totum cum altari suo & simulachro
 taber-

140 TRIUMPHVS SACER
tabernaculum expressiùs describere. Sic
ergo erat: Quatuor columnis iustæ ma-
gnitudinis innitebatur rotundâ clypei
formâ (nam solo hemisphærio tenuis ap-
parebat) celum cæruleum sole, lunâ, aëstris
prælustre: in medio cæli conuexi, velut
ymbone clypei, aliquântum eminulo tan-
quam paruula (vt aliquid impropiè cum
litterarum vetustate loquar) verruca ex-
tabat. Eam pedibus noster Samson viua
statua, vr sibi videbatur: vt alijs, nisi se cõ-
moueret, vera & inanima & immobilis,
insistebat, eratque figurâ rectâ, aspectu
toruo, & prorsus Samsonem decente ha-
bitu, sic aptis hærentibusq; corpori indu-
mentis, quemadmodum spectari in priscis
simulacris solent: sub alâ alterâ valuarum
Gazensium vnâ; super altero humero
alteram gestabat. Sic ergo stetit recto &
constanti statu (res mira) donec tota &
bene longa supplicationis pompa pertrã-
sisset: cuius pompæ bona pars post omnẽ
solemnitatem sentiebat dicebatq; adeo
hanc rem sibi visam esse ad viuum repræ-
sentatam, vt ferè crederent eam statuam
(sic enim ignoratione artificij appella-
bant) hominem fuisse, non statuam: ta-
men ideo esse statuam existimasse, quod
haud credibile foret hominẽ eò scandisse.
tam-

tamq; diu & in illo statu & cum istis oneribus perseverasse: cum scilicet non carerent neq; pedum in exiguo spacio tantam tamque diuturnam firmitatem, neque lacertorum in portandis Gazæ portis (Nam satis magnæ erāt, & graues pro magnitudine putabantur) tā inconcussum robur. Nulla enim in pedibus vacillatio, nullus in brachijs motus, aut si quis, certè perexiguus, & qui spectantes dubios potius relinqueret, quàm in alterutram partem certos faceret; inconniui oculi, os silentio respirans, omnia denique sic erāt, vt si viuus homo, tamen statuæ persimilis: si statua, tamen homini viuo quàm similima crederetur. Nunc ad concauas & intraneas cæli partes. Eæ suis luminaribus splēdidè lucebant; suis velis gratiosè purpurabant. A columnarum capitulis crux preciosa supra mensam sacram ducta erat è torquibus aureis, (quas fori matronæ in eum ornatum cōtulerant,) tota aurea: nisi quod & plerisque alijs monilibus, tanquã emblematis coruscaret. Stabāt ad hoc tabernaculum tria honestissimorum ciuium è Societate B. V. Mariæ in cælos assumptæ paria reliquias sacras puris tedis & honore flammeo, pietatis & caritatis indicibus testatissimis veneraturi. Nam & ijdem so-

dales

dales ardenti in nouos vrbs suæ patronos affectu in hoc tabernaculum, quàm pulcherrimè exornandum omni ope atque virtute incubuerant. Secundum aram prætendebatur in fori latitudinem vsque in propinquū vicum militaris acies transgredientem pompam veneratione, & trāsgressam displosione profecutura. Aræ, igitur isti honos habitus, tam depositione reliquiarum, quàm harmoniã vocum, indequè inter arma micãtia, quæ velut muro forum claudebãt, & inter aduersas domos, quæ leto varioquè adornatu frontes suas exporrigebant, in plateam vulgo Bellain dictam, eamq, sanè cum alio cultu, tum multiformi diuinorum repræsensatione mysteriorum, bellam ac speciosam iniunimus. Ad puteum, qui ibi visitur & occasionem inuento præbuit, Christus & Samaritana colloquebantur: alibi alia scenico habitu pro diuersis pientissimorū ciuium studiis exhibebãtur: quæ licet leui stylo peruolem, non leui tamen momèto memoribus acceptorum beneficiorū martyribus pendent. Sed oculos præcipuè traherat altè fastigiatum hoc in vico tabernaculum, nulli cæterorum nec mole nec ornatu secundum, cuius vnus è Deiparæ assumptæ sodalitiõ suum inibi domiciliū ha-

ha-

habentis principali curâ & studio conue-
 stitum. Binis contignationibus in sublime
 eminebat, internè quaternis pilis formâ
 quadrangulâ suffundatû, & ab imo sup-
 pedaneo ad summum culmen, diuersi ge-
 neris tapetibus atque auleis, intermistâ
 variorum florum suaueolenti gratiâ venu-
 stum & fragrâs. Aram mediam multiplex
 obibat inauratum peristroma, limbis pur-
 pureis auro variatis, alióq, artificioso acus
 labore radians. Inter argentea autem in-
 aurata & commendabilis sculpturæ can-
 delabrâ (quæ Damascenæ pertenui mappæ
 superiecta ceram Punicâ floreis circum-
 ornatam emblematis complecteban-
 tur) intercedens precioso fragrans aroma-
 te foculus, odores odoribus & libamina
 libaminibus cumulabat. Ductos supra eâ-
 dem aram in trãsuersum funiculos omnis
 flosculorum amœnitas totos integebat:
 sed ubi se pũcta linearum contigua decus-
 sabant, inde inaurata gemmisque ebria
 dependebat imperialis corona, sed præci-
 pue nodis solido ex auro formas diuersi-
 coloris figmenti referentibus æstimata.
 Huic supereminentem imam cõtignatio-
 nem conchyliata celabat vestis, extimam
 verò eiusdem contignationis frontem se-
 rica heteromalla, acu phrygionis scitè

ex-

exarata & aureis producta fimbrijs com-
 mendabat. Adde affixas florentibus colu-
 mellis tam superioribus, quàm inferiori-
 bus, magnæ artis & precij depictas super
 tabulis circumsecus inauratis, Diuorum
 imagines laudatissimas. Adde omnigenū
 florum candidissimis lilijs implexorū cum
 varijs dependentibus corollis, ad tenendā
 oculorum aciem, ingeniosos nexus. Iam
 culmen ipsum plusculi ad sphaeræ formā
 incurrentes alio atq; alio colore circuli,
 figuræ mundanæ æmulum faciebant. In
 supremo apice sanctissimum I E S V no-
 men aureis inscriptum litteris, cuius dif-
 fusos radios bini Angeli attinebant, con-
 tra solem splēdicabat. In altioris tabulati
 quatuor angulis, totidem virtutes, vitæ
 morumque cardines, à pari numero pu-
 beribus puellis nobilissimo amictu atque
 ornatu auri & gemmarum prænitentibus
 exhibebantur: quæ ipsæ singulos votiuos
 versus Diuis Martyribus T E R E N T I A-
 N O & socio sigillatim patrio idiomate re-
 citabant. Infernè porrò senis ferè à taber-
 naculo pedibus, Angeli duo paululum à
 solo eleuati, appropinquantibus purpura-
 torum athletarum thecis manu alterâ fa-
 cem adlucebant, alterâ thus adolebant.
 Iidē & rhythmos linguâ vernaculâ partæ
 gloriæ

gloriæ indices ostensis alijs, qui supernè erant, Spiritibus, lauros ipsis cælitus deferentibus, subinde pronuntiabant. Denique aliquanto ante hos spacio, puta denum circiter pedum, defixæ in terram geminæ arbores multis diuersicoloribus orbiculis, disci formâ, sed leui materiâ de quolibet ramo dependulis (hoc vernaculum est nostri Belgij, tam in templis quàm in compitis, magnæ celebrisquæ lætitiæ indicium) tanquam fructibus prægrauatæ, binas subter obumbrabant virgunculas, quæ splendidè ac genialiter amictæ plenos rosis, lilijs, violis, alijsq; floribus candidulos quasillos, in aduenturos Martyres reseruabant: quos ijsdem cominus prætereuntibus, in viâ, honoris ergo substernerent. Affixæ ijsdem arboribus supra ipsas puellas tabulæ visebantur, cum Sanctorum TERENTIANI & socij inscriptionibus deprecatorijs. Quæ omnia (nã eiusdem generis complura volens missa facio) in medium propterea adfero, quòd Duacenis, quibus potissimè optantibus hæc scribo, aliquem operæ suæ fructum ex dulci memoriâ sint redhibitura. Peractis igitur ad eam aram honoris & religionis conuenientibus officijs, de plateâ Bellain in alteram quæ, S. Christophori

K

dicitur

dicitur perrectum est. Ea tam densis superne viridantibus ramis prætexta erat, vt gratissimi spissitudine umbraculi, non modo dulcissimum adferre refrigerium posset, verum & pluuiæ atque imbrium, si qui ingruerent, importunitatem arcere, & ardentis caniculæ spicula prohibere. Et cum eiusdem vici, spacio quidem angusti, sed splendido ornatu non minus augusti aduersæ ædes ac muri multo tapete, imagine, tabulâ pictâ sub illâ umbraculi amœnitate sacrum quendam animis horrorem obijcerent, speciem quandam antiqui ac venerabilis luci tibi obuersari diceres. Hinc egressi templû magni Apostolorum Principis aspiciamus: quod prius quàm ingrediamur, non nihil resistendum est, & animus antè præparandus.

CAPVT XVI.

A Diui Petri ad plateam vulgò Cuniculorum dictam progressio.



NOTE inclytum illud D. Petri & docto Canonico collegio prælustre templum, erant in imâ, quæ de iam egimus, plateâ, quæ digne, ad ædis ingressum, præparationi subseruirent: nempe tum pia quædam domibus adhærentia & Diuorum variâ effigie insignia

gnia altaria, tum qui notissimam Sanctorum
Francisci & Clarae pietatem illis conformiter personati sacram ædem subituris ingererent. Haustâ igitur oculis vel præconceptâ animo pietate in augustissimum illud templum religiosa supplicantium series ingressa est, & Martyrû beata pignora in intimum vsque sacrarium multis vnde-
quaq; luminibus clarum delata, & coram arâ principe in subiecto egregieque adornato tabernaculo reuerenter deposita: cuius tabernaculi à multis admodum commendati decorem ac venustatem vereor vt exequet stilius. Sustinebant illud tres dumtaxat columnæ hemicycli formâ exhibentes: quibus iniectæ totidē pyramides medium supra aram elegantissimum cœlum concavâ quidem sui plagâ cœruleum multumq; dispersum micantibus stellis coruscum, in conuexâ verô prorsus flâmeum amplectebantur. Extimam porrô & summam eius altitudinem corona imperialis aurata, & subinde amœnis floribus speciosè interstinctâ spectabili magnitudine & pulchritudine coronabat. Imum cœli ambitum, & quasi horizontem limbus è filo serico arte Phrygiâ insigniter elaboratus circumibat: intra ambitum è transuersis per diametrum viridantibus tænijs, cum

alia insignia, tum Christi cruciati instrumenta, certis apta interuallis, cū splendore dependebant. Adde columnarum, pyramidum, aræ ipsius indumenta, ornamenta, additamenta flore, auro, purpurâ, holoserico ad gratiam & magnificentiam multiplici varietate & proportione, præquàm facilè exprimi possit, fulgentia. Totum verò hoc opus ciuis vnus sæpe gestis Magistratibus honorati, qui sibi quidem impensas, familiaræ verò laborem atque ornatum vltro efflagitarat, Votum fuit. Statutis ergò in hac arâ SS. Martyrum arcis, læta atque hilaris musica in eorum laudem, ab huius ædis, directore cantus, recenter composita modulatu suauissimo personuit. Cui & R^{mus.} ipse conuenientem de ijsdem Martyribus precationem solemnem subiecit. Itaq; paulo hîc longior, quàm alibi vsquam statio & supplicatio fuit. Quâ finitâ versùs S. Iacobi vicum, læto prosequente strepitu bombardarum (constiterat enim iuxta D. Petri, ciuium militaris cuneus) progressum est. Qui S. Iacobi vicus, quãto ab æde Patrum Societatis (qui erat totius processionis terminus) propiùs aberat, tanto incubuerat diligentius, ne à ceteris remotioribus, vel curâ apparatus, vel ornamentorum elegantia vinceretur. Sed enim ante

huius

huius vici ingressum, ecce magnificum
 vnum Seminariū (quod à nobili suo fun-
 datore, in armis strennuo, in pijs operibus
 largo, D. Valentino de Par-Dieu, Domino
 de la Motte, piæ memoriæ, ad æternitatem
 benefici nominis, Lamotianū inscriptum
 est) ecce illud inquã, è D. Petri, arçã, ver-
 sùs D. Iacobi euntibus, sese aduersum &
 primum offert, quod propterea præteriri à
 me tacitū non debet, quia pompam, dum
 hac transiret, præterire tacitam non fuit.
 Nam gloriæ Martyrū amātes eius alumni
 Seminarij, in arçã suã, propter murum qui
 plateam ducit, theatrum erexerunt, ibique
 congesto syluarū virore frondosum æmu-
 lati umbraculum & folijs tecti, dulces mu-
 sicæ modos, sub longæ pompæ transitum
 cecinerunt, atque in tractum Iacobæum
 descēdentes Sanctos Martyres, faustis lau-
 dibus & lætis cantibus sunt profecuti. Iam
 qui vicum illum S. Iacobi incolunt, eum
 tribus in locis munire & distinguere &
 perpulchrè ornare, appetitu primæ laudis
 studuerunt. Quare & incipientem terge-
 minis arcibus, & totidem medium, &
 æquali numero desinentem instruxerunt.
 Primi igitur arcus super pōtem D. Iacobi,
 quem vocant (id enim est plateæ exordiū)
 impositi sunt, ijque & picturis varij & frō-
 dibus

150 TRIUMPHVS SACER
dibus amœni, & floribus odori. Ingressus
tu quidem portas hæc arcuatas, inuenires
in veteribus vicis novos vicos, pro obscu-
ris splendidos, pro nigris virides, pro nudis
amictos. Nam quantum erat in vtroque
latæ plateæ latere, vicini ædibus spacij,
quod canalibus incilibus comprehende-
retur, id totum productis in longum, super
colūnares stipites, tigillis, ijsquæ pulcher-
rimo peristromate cōuestitis à mediâ viæ
areâ sequestrabatur: sic vt in lateribus sin-
gulis, quasi singulæ essent inter ædificia &
ornatus Attalicos angustæ semitæ; in me-
dio autem inter regios à dextrâ & læuâ ta-
petes verè via regia: & ea quidem non in-
fernè dura lædendis pedibus, sed molliter
herbida leniendis gressibus: nec supernè
aprica tolerandis æstibus, sed vmbrosè
opaca captandis teporibus. Siquidem con-
iungebant domos contrarias ducti à fene-
stris ad fenestras vernâtes funiculi suis ar-
tificiosis orbiculorum, corollarum, alia-
rumquæ inuentionum appendicibus de-
cussatim exornati. Per hanc igitur viam,
quasi per sanum aliquod non profanum,
egregiè circumquaque cincti & muris At-
talicis septi cum horrore & veneratione
transibamus, cùm ad secundos arcus & al-
teras portas accessimus nihilo iam præte-
ritis

S S. TERENT. ET SOC. M M. 151
ritis neque natiuâ formâ impares, neque
cultu accessorio inferiores. Atque, vt frons
fuit, sic penetralia inuenimus, & quidem
vt in plateæ umbilico, sic plus honoris
fuit. Nam ingeniosa magnifici & elegantis
tabernaculi substructio in sublime caput
attollens hanc plateæ regionem haud me-
diocriter decorabat: siquidem ad eius or-
natum dies sanè haud paucos, protensis,
instigante sanctorum Martyrum amore,
vigilijs, vicini illic ciuis primarij & sæpe-
numero de Magistratu familia pientissima
excubarat. Eâ igitur substructio quatuor
columnis stabat quaternos denos pedes
altis, quibus octoni arcus fornicati varièq;
inter sese perplexi intrinsecus insistebant.
Nam prominentia forinsecus earundem
columnarum capitella singulæ pyramides
solerti exstructæ artificio occupabât. Por-
rò in summis illis, quæ structuræ in medi-
tullio visebantur, arcubus, rotûda laternæ,
vt vulgò appellant, forma supereminebat,
quæ ipsa quoque pyramidem suam latera-
libus, proportionem iustâ, excelsiorem su-
stinebat. Hæc ergo quæ vel nuda gratiam
& venustatem præstarent, post adhibitos
ab ingenio & materie cultus preciosiores,
nouo quodâ & admirando industrij splen-
doris additamento plus placebant. Nam

arcus ipsos virens circumcurrebat hedera,
 partim stellulis scitè ex auro concinnatis,
 partim multijugis floribus plurifariam in-
 cisis, saltuatim interpuncta. Bases item &
 columnæ & pyramides & alia eiusmodi,
 varijs cōuoluta, ornata, distincta erant siue
 aulæis Babylonijs, siue herbeis aut floreis,
 cariori arte quàm materie, vel amētis. Iam
 celum quod altare cōtegebat, non cælato
 quidem in ære aut ferro, sed in flore &
 herbâ cancellato opere splendidabat: cui
 extrinsecus frōtem obuelabat longa tania
 floribus purpureis in characteres efforma-
 tis S. T E R E N T I A N I nomen & inuoca-
 tionem ostendēs. Ara autem ipsa præclaro
 & exquisito amictu primas tenebat, super
 quam lumina ceræ virgineæ complura in
 argenteis fulgentia candelabris, Christi in
 cruce fixi longè pulcherrimam effigiem
 argenteam & inauratam cum alijs corus-
 cantibus cimelijs collustrabant. Eiusdem
 aræ quaterna latera, pueri totidem Ange-
 licâ formâ & habitu, tedâ candidâ prælu-
 centes constipabant. Denique tota ara se-
 pimento virgulteo cancellatim circum-
 ducto pulcrior parebat & purior: A quâ si
 oculos vel in hâc vel in illam ædificiorum
 partem deflecteres, vix ea præ grandibus
 regionum tapetium prætēturis attingeres:

quo

quorum quidem tapetium ex parte alterâ octoni deni vnâ eademque manu & acu regificè pertexti, & continuo æqualique positu in longum directi, integram tibi historiâ Dominicæ passionis in memoriam redigebant. Hic ergo aliquâtisper pompa constitit, & super nobili tam excellentis tabernaculi repositorio sita SS. Martyrum corpora, debitis honoribus & grato concentu affecta, non nihil quiescere. Sed ultra quoque progredientibus, eadem quæ hinc festiui facies apparatus, quæ frondosis supra vmbraculis, quæ opiparo à lateribus ædium cultu, se vsq; ad extremas arcuales portas ostēdit. Quin & lōgius quoq; extra illas (ne fortè tot cōclusa portis pietas hac tantum tenuis extendisse alas putetur) cōsimilis ornatus, nec dissimilis deuotio emicuit. Vbi & vna vidua (memor enim euāgelicę hęc nō prætereo) non paucas noctes cum domesticis suis vigil, aliquod Diuis Martyribus & operâ & sūptu, honoris exhibere obsequiū studuit. Nā & speciē altaris haud contemnendā, ædium suarū fronti addidit, adhibitis præter alia decora solertibus atq; ingeniosis variè pictarū chartarū cæsuris & variegationibus, tam magnæ industriæ, quàm laboris prolixi, & cōiunctæ modestiâ pietatis indicibus, Cui pietati

etiam liberos suos docuit materno affectu
velificari. Nam & maiorem natu filium,
cui bonâ eruditæ mentis acie prædito mi-
nimè grauis est oculorum orbitas, ad lati-
nos aliquot versus pangendos, quibus SS.
Martyres salutarentur, impulit, & octen-
nem alterum cum suo fraterculo & vna
puellula habitu pastoritio indutos proce-
dere obuiam & prono poplite sacras reli-
quias venerari iussit. Fuerunt autem, si quis
requirat, hi versus senarij affectu magis
quàm elegantiâ æstimandi; etsi quaternis
versibus ternâ nobis magna bona opta-
uerint:

*T E R E N T I A N E, tuq; socie Martyres,
Adeste vestris præfides clientibus:*

Seruate vestro ciuitatem unuaine,

Ipsuq; vobis quod sacrat se, Belgium.

Erat hinc aliquâto vltèrius progressis pro-
ximè à plateâ vulgo Cuniculorû dictâ in-
signe tabernaculum rubicanti supernè
serico conopæo intermicantibus stellis
distincto pellucidum & ipsis purpuratis
martyribus concolor, opus sedulâ certa-
rum virginum operâ atque industriâ egre-
giè adornatum. Statio hîc fuit & mora, sed
vt termino appropinquantibus, eaq; pro-
pter etiam appropèrantibus perexigua, &
ferè quantula duntaxat ad novos feretro-
rum

S S. T E R E N T. E T S O C. M M. 155
rum gestatores, qui sese certati mimmit-
tebant, suscipiendos requisita sit. Itaque ut
ipsa pompa cursum, sic ego stilum accele-
rabo, & rectâ per plateam illâ D. Iacobo
obuersam (hac enim viâ procedit suppli-
catio) versus pægma illud aërium, quod
hinc video, & istam præsuauem harmo-
niam, quam hinc haurio, medijs omnibus
prætermiſſis, citatiore gressu me cōfero.

C A P V T X V I I.

*Platea cuniculorum, & vici noui pægma
& Musæ.*

B I N Æ dumtaxat plateæ iam re-
stât, sed eæ nobis non more alia-
rû, composito passu peragrâdæ,
at vi quadam maiore (adeò se hîc
turbæ comprimunt) perrumpendæ. Nam
ut processionis propinqua hîc meta; sic
populus longè densissimus cōferto agmi-
ne huc affluxit, transitumquæ contrusione
remoratur: eâ quidem causâ, quòd in alte-
ram earum platearû sublime illud pægma
iuuentutis Insulanæ multos contraxerit: in
alteram autem templo proximam, & Mu-
sæ Gymnasij, & theatra Apollinea multi-
plicis expectatione spectaculi plurimos
commouerint. In priore igitur illa plateâ
(Cuniculorum vulgò appellât) quâ parte
in po-

in posteriorem ingreditur, & templi Societatis IESV frontem aspicit, stabat excelsum illud ac regium pægma, seu lignea in quadrum moles, quadruplici tabulato altè fastigium leuans, Insulanorum, qui Philosophiæ in Aquicinctino Collegio dāt operam, Votum: qui & sumptus operi præstiterant, & in eo instruendo atq; adornando diurnam nocturnamq; operam collocarant. Molis vniuersæ latera, tapetijs, velis sericis aut versicoloribus pannis, stellis lilijsq; passim intermicantibus vestiebantur. In apice, sanctissimum IESV nomen, subtusq; ingens argenteo candore liliium, & stellulis aspersus orbis radiabant. Tota machina lilijs albis rubro in æquore effigiatis (quod insigne est Insulensium) aptè eleganterq; distincta visebatur. Sed potissimum decus in musicorum actorumq; apparatu resplenduit, qui suo quiq; tabulato attributi, intermixtis vicibus, pulcherrimâ varietate, intuentiû oculos auresq; demulserunt. In supremo tabulato collocati fuere Atrebato euocati & Insulensium ære cōducti cornicines, toto Belgio famâ celeberrimi atque in eâ arte facilè principes: qui alternis cum choro musicorum, quem in secundo statuerant tabulato, perquàm artificioso concentu per-

SS. TERENT. ET SOC. M M. 157
personantes, interea dum longus supplicationis ordo procederet, omnium animos iucundissimâ voluptate perfuderunt. In infimo denique tabulato eoquâ longè ornatissimo, stabat Lilla, siue Nympha Insulensis liliato schemate augustè vestita & Angelorum tutelarium septa comitatu: quæ aduenientes Martyres nomine suorum popularium gratulatorio carmine excepit, illisque apparatus, qui latè promicabat, vniuersum, pro Insulanorû voto & anathemate medullitus obtulit, dedicauitque. Carmen ipsum, vt est pium & venustum, hîc appono:

O Sol irradians TERENTIANE:
O Astrum socium TERENTIANI:
Ambo lumina Catuacidarum,
Ambo viuite, (Sic ego & meorum
Florens Insulidum vouet iuuentus)
Ambo viuite compares triumpho,
Victoriq; simul meo ite iuncti,
Victori socius TERENTIANVS,
Victori socius TERENTIANI.
Ambo viuite: sic vouemus omnes.
Nos defendite: sic rogamus omnes.
Sic omnis vouet & rogat iuuentus:
Quæ tam candida, tamq; liliata
Coniunctis animisque, copiisque,
Honoris

Honoris monumenta dedicauit.

Amoris monumenta consecrauit.

Ita Insulani patrono suo S. Victori patronos nostros latâ pietate confociâtes, suum in Diuos amorem testati sunt. Addiderant præterea operi inscriptionem, & inscriptioni hoc chronographicum:

*S. Terentiano Insv La fLanDrorVM
Ista erIgebant.*

Constitit huic labori apud Diuos (vti par est de beatis & beneficis expectare & credere) sua merces, suumque præmiû: apud homines certè hæc liberalis & religiosa Insulanæ iuuētutis industria omnium acclamationibus & laudibus certatim excepta est.

Ab hac voluptate in vicum nouum haud minus oculis auribusq; (si tamen melodia audiri possêt, nec populi compressio carminum inspectionem impediret) voluptuosum transiuimus. Nam quæ & quanta voluptas, cum ibi in ramoso theatro, mistæ testudinibus lyræ, & coniuncta liris nablia suauissimè resonarent? cum hîc in aduerso theatro Orphei Amphionisq; cantu siluæ & saxa mouerentur? Sed de his ordine, ne forte humaniorum classium labores & regis opus, cum primi occurrant, prætereant.

S S. TERENT. ET SOC. M M. 159
tereatur. Nã ambo huius plateæ muri, quã
erãt lōgi nempe ducentorū quinquaginta
circiter pedum, tantã quoq; epigrãmatum,
emblematum, anagrammatum, ænigma-
tum, logogriphorum, aliorumquẽ in bici-
piti Parnasso somniatorum versuum serie,
eãquẽ geminatã vestiti gestiebant. In alte-
ro Rhetores Aquicinctini Collegij, in al-
tero eiusdem Gymnasij Poëtæ sui speci-
mina ingenij defixerant. Itaque vidisses
producta super viridi panno hinc octogin-
ta circiter pulcris depicta coloribus em-
blemata: Inde & altera, ferè totidẽ, vt di-
gnitate paria, sic argumento varia: Ad-
hæc sub emblematis præter alia, quæ vo-
lens missa facio, etiam illinc de omnibus
tormentorum, quibus fides olim tentata
est, generibus scripta clarè, breuiter, acutè
carmina: Hinc similiter in secundo affixio-
nis ordine, quàm bono numero, tam infi-
gni acumine, & solertiã logogriphos, æni-
gmata, aliaue eius generis videre posses,
& si quidem velles, etiam legere, & si at-
tendere vacaret, cum voluptate sensum &
acumen percipere. Iam post eiusdem pla-
teæ murum illum, qui ædem Societatis
IESV petentibus est ad dextram, longum
prominebat theatrũ, in quo varia de penu
Apollineo in honorem Martyrũ prome-
ban-

ban-

bantur: ibi Amphion lapides, ibi Orpheus
 filias, ibi Pegasus fontem, testudine, lyra,
 pede, cientes & elicientes visebantur. Nam
 ut studiosi Insulenses in alterâ plateâ, sic in
 hac & Leodienses, quorum hîc bonus erat
 numerus, & Iberni, quorum hîc est insigne
 Seminarium, & Montenses, suas tueri pro
 sanctorum honore & gloriâ partes stu-
 duerant. Itaque Leodienses in primo thea-
 tro Amphionem induxerunt, qui suavissi-
 mo aureæ testudinis modulamine, imma-
 nia saxa certis inscripta litteris tamdiu
 agitaret, versaret, componeret, donec mu-
 rus hæc insignitus epigraphe exurgeret:
 DIVO TRENTIANO. Supra quem murum
 sic inscriptum, ipsa quoque vrbs Leodinae
 insignia, hoc est Crux pilæ marmoreæ fa-
 stigio insistent (Peronē ipsi appellant) sub-
 siluit, & cuius hæc subsultoria machina
 Votum foret, isto velut emblemate decla-
 ravit. Leodios sequebatur Iberna natio, &
 hanc Montensis: ista nouo tripudio deti-
 nere pompâ accincta: hæc Pegasi fontem
 pede elicientis spectaculo demulcere pro-
 pta: sed comprimentes turbæ & templi vi-
 cinitas, & ipsæ temporis angustia gressum
 accelerare compulerunt: vt nec plenè ex-
 hiberi, nec bene spectari potuerint. Quare
 & mihi succidere stili moram placet &
 pro

pro templo facta, digito potius indicare, quam scripto exprimere: etsi haud dubium quin pergrata perque accepta Diuis fuerit, o deuoti Martyribus cliētes, vestra illa non modò rerum exhibitarum facultas, sed etiam exhibendarum bona voluntas. Quippe qui sacris non sacra modò, sed & profana partim comitari, partim subseruire coëgeritis. Sed ecce deductis latissimè valuis templum excipiendis Martyribus patentissimum: illuc compositâ mente gradiendum est.

CAPVT XVIII.

Templi Societatis IESV, eiusque ornatus, & celebritatis descriptio.

TEMPLI interiorem ornatū facies quidem ipsa exterior & extremum è Belgico marmore propylæum paratu egregio conuestitum, aliquatenus præmonstrabat: sic tamen, vt multo plus oculi intus inuenerent, quàm foris imaginatio præsignaret. Nam introgressus, quacumq; respectares, nihil nisi merum splendorem, & verè gloriam Domini reperires. Suprà, infrà, antè, retrò, à lateribus, quid videres, nisi floridum vmbraculum, odorum pauimētum, purpureum mausoleum, marmoreū odeū,

L

multi-

multiplex deniq; peristroma Babyloniu?
 Quid aspiceres, nisi sacella ornatissima,
 nisi altaria augustissima, nisi cimelia san-
 ctissima? Quid audires, nisi voces liqui-
 dissimas, nisi fistulas acutissimas, nisi ti-
 bias argutissimas? nisi organa concordissi-
 ma, nisi nablia, cornua, aliâq; eius gene-
 ris longè suauissima? Describam expres-
 sius. Videres templum nullis in medio
 columnarum ordinibus impeditum, ideo-
 que insigniter latum, pedes scilicet quinos
 & quadragenos sacellorum tenus, sacellis
 autem comprehensis sexagenos quinos,
 longum verò centenos tricenos. Et antè
 quidem haberes aram principem, tanquã
 sub arcu triumphali, quadam sacræ maie-
 statis imagine longius reductam, eamque
 omni precio argenti, auri, gemmarum, in
 candelabris, in statuis, in iconibus, obfi-
 tam. Cerneres paulo inferiùs atque remo-
 tiùs puras ex iaspide versicolore, super-
 stantibus ex alabastrite inaurato Angelis
 Dominicæ Passionis insignia gestantibus,
 pelluentes columnas: quæ columnæ &
 altari splendorem & velis hinc inde altari
 obducendis commoditatem præstât. Iam
 extra arcum & ipsius altaris septum, in-
 tuereris aliud quoddam spatium, velut as-
 sumptis alis, in latitudinem aliquanto dif-
 fusius,

fufius, eoquē in fpatio, hinc Chrifti Saluatoris, inde virginis Deiparæ integras è faxo candido fubinde inaurato imagines. Quibus vicinæ in proximis parietibus feſe ex aduerſo reſpectant Sanctorum Petri & Pauli, & ex utroquē deinceps extra alas ipſas latere, aliorum Apoſtolorum æqualibus diſtantes ſpatijs, eâdem arte & manu inſignes ſtatuar. Porrò præluſtre in primis templum efficiunt præter prægrandes in aliſ feneftras, tres alij ex utroque in longum latere, vitrearum feneftrarum, aliarū ſuper alias, ordines. Nam & ſupra peristylium ſuperius, & in ipſo, atque etiam in inferiore peristylio ſua lux eſt propria, quæ quidem in loco ſummo & infimo longioribus aliquanto quàm latioribus feneftris, in medio autem rotundis infunditur. Cōtinentur autem in duobus peristylij inferioris oblongis lateribus bina & bina ſibi directè oppoſita ſacella. Denique odeum è marmore Belgico quaternis ſubnixum ex eodem lapide columnis, & ſupra illas, in ipſâ ſui fronte, Euangelistarū totidem in cādido lapide inaurato inſculptis imaginibus clarum, tam micat ſplendori, quàm commodat uſui. Sed horum ornatus quinam? Sanè aliquis huius tēpli ignarus, qui à D. Amati uſque ad D. Petri

dumtaxat, futuram supplicationem autumasset, facile sibi persuasisset, consideratis, quæ per vias & vicos, in theatris, in pægmatis, in arcubus, in tabernaculis, in altaribus, conspexisset ornamentis, nihil propè esse totâ vrbe magni decoris ac precij, siue in sacris, siue in prophanis ædibus, quod non ibi esset in publico expositum. Sed alius rursus, qui istarum rudis platearum aliâ viâ in hoc templum ingressus esset, totumq; à summo ad imum vndequa; circumspexisset: is non omnia sanè quidem totius vrbis, sed tamen præcipua quæque decora huc ita cõgesta esse existimasset, vt foris nihil equalis esse præcij arbitraretur. Tertius verò quispiam, omnium & quæ plateis, & quæ in tribus templis fuerunt, diligēs explorator, haud à vero, vt ego quidem opinor, lōgè aberraret, si eximia quæque totius vrbis, in tapetibus, in imaginibus, in vasis sacris, argenteis, aureis, gemmeis conspexisse quidem se vbique horū locorum, sed in hoc præcipuè templo pretiosissima & confertissima diceret. Nempe vbi nihil nudum, nihil inelegans, nihil inornatum, ne in angulis quidem inueniret. Et sic decebat. Nam alibi quidem transituri tantum Martyres erāt: sed hîc mansuri, hîc habitaturi.

Quare

Quare templi ambitum plures peripetasmatum, sed rariorum & acu Babyloniam ordines, hoc est, bini terniue, alij super alios, speciosius auro & gemmis vestiebant. Vnus ordo super altius peristylum ascenderat in circuitum vagabundus. Alter & tertius in spatia inferiora ad imum vsque, inter sacella excurrerant: quamuis & in ipsa sacella intrarent, altarium latera ornaturi. Iam inter vtrumque peristylum, eius spatij, quod in longum intercedit, frons candida, & cubitum vnum circiter lata, limbo marmoreo non nihil extanti supra infraque cingitur. In eam ergo fronte, totam quam porrigitur longitudine, inscripta erat caractere purpureo aureis maculis asperso, eoque maiusculo, & suum implente spatium, hæc sententia: *Isti sunt triumphatores, facti amici Dei.* Et in aduersam templi parte, seu pariete opposito, sed consequenti ordine, *Modo coronantur, & accipiunt palmam.* Quæ res ex loci ingenio & proportione erat visu amœnior, quam nunc cogitatu facilior: eaque nobilium Virginum & multarum vigiliarum opus. Altissimè verò ducti transuersim viridibus obuoluti fimbrijs funes, per supremam templi regionem, & totum illud medijs aëris inane, pendulos demittebant, partim

è bysso, aut holoserico, partim è pictis incisq; in varias figuras & effigies chartis, orbiculos, corollas, strophia, eiusdēq; modi alia, flauo, purpureo, caruleo, alijs, coloribus ornamentorum genera, quæ gratissimam intuentibus varietatem ingerbant. Adde affixa summis parietibus supra vltimā peristromatū seriē ferta è frondibus auro ductili lemniscatis amplissima: quæ iusto & æquali inter se per templi orbem interuallo distantia non exiguam sibi gratiam vindicabant. Paulo inferiùs summos altioris peristylij arcus foris extātes, alij coronabāt arcus hederacei, per vtrāq; templi longitudinem, nunc rectā, nunc orbiculari lineā continuatim perducti. Principalem tamen laudē meritissimè sibi occupauerit insigne illud Mausolæum, SS. Martyribus in mediā templi alā erectum. Erat altum pedes circiter quadragenos, formā infernè quadratā & senos denos latā, sed vbi cum istā latitudine denos ascenderat, tum sensim in acumen, & denique in tenuissimum apicem assurgebat. Pars ergō altior & pyramidalis, pāno purpureo, argenteis dispersim flammulis dictincto vestita erat, quæ & quadruplici dentium è filo lineo subtilissimo acupictorum serie instrata, mirum quā magnificam venustatis

statis

statis speciem præ se ferret. Quod verò suberat quadraturæ, id in summis quidem angulis quaterna explicabat vexilla serica sanctis vtrinq; imaginibus singula egregiè colorata: infernè autem florum & frondium versicolore ornatu, ad solum vsque amiciebatur. In medio eiusdem quadraturæ, aliquot à solo gradibus eleuatum stabat egregium prorsus altare sacris suscipiendis atque sustinendis pignoribus accommodatum. Denique cingebatur tota hæc moles septo eleganti, atque hanc in rem longè antè operâ accuratâ fabrefacto, cui nec suus deerat floridissimus & fragrantissimus à naturâ & arte ornatus. Quin & omnem eius circuitum perillustris cereorum punicorum corona ambibat & illuminabat. Habebat quoque ad quatuor latera, sed pedibus aliquot seiunctiùs, totidem paruulas pyramides, è quibus circa fastigium quædam velut cornua capiendis apta luminaribus arrigebantur. Hæ quoq; haud secus atq; Mausolæum supernè purpurabant, & adiectis hinc inde maculis argenteis apicè tenus rutilabant. Bases ipsæ colorem iaspidis ementitæ, frontes gerebant votiuus inscriptionibus prisco more illustres: quarum aliæ D. TERENTIANVM, aliæ Socium his ferè verbis honorabant:

L4

GE-

168 TRIUMPHVS SACER
GENEROSO ATHLETÆ D,
TERENTIANO INVICTO VICTORI
ET TRIUMPHATORI
VOTVM.

INCLYTO PVGILI D. TEREN-
TIANI SOCIO PRO TYRANNIS DEVI-
CTIS PRO SANGVINE LIBATO
SACRVM.

ITA & alia duæ diuersis verbis eodem sensu deuotæ erant. Singulas itaq; pyramides sic purpuratas, sic picturatas, candelæ è cerâ candidâ collustrabant toties quinquagenæ, hoc est vniuersim ducētæ, Philosophorū Aquicinctini Collegij Vota. Quo quid esse poterat ad donum magnificentius, ad splendorem illustrius, ad pietatem ardentius? Adde ciuium, adde matronarum, adde virginum dispersa per templū alia lumina & vota. Quid ei splendori & feruori par dici queat aut secundum? quid tale vnquam tu, ô Duacum, vidisti? quid simile vsquam vos, ô vicinæ, imò remotæ vrbes, Duaco vidistis? Non queratur hîc de luminarium multitudine nouus aliquis Vigilantius. Nam veterem illum nimis acriter retudit D. Hieronymus. Ecce eorum verba in hanc rem tam apta, vt nihil aptius, nempe cùm olim fieret, quod iam fecimus, & benè factū malè

accu.

accusaretur, & malè accusatum, bene de-
 fenderetur. Dicebat ergo ille ore male-
 dico quiritabundus: *Propè ritum Genti-
 lium videmus sub prætectu religionis introdu-
 ctum in Ecclesias, sole adhuc fulgente, moles
 cereorum accendi, & ubicumq; pulvisculum
 nescio quem in modico vasculo, precioso linte-
 mine circumdatum, osculantes adorare. Quid
 ad hæc D. Hieronymus? Quis enim, in-
 quit, ô insanum caput, Martyres aliquando
 adoravit? Quis hominem putavit Deum?
 Quæ ipsa pluribus idem prosequitur, satis
 insinuans cultum, quo Martyrû reliquias
 prosequimur, non esse adorationem, qua-
 lis Deo debetur & redditur: sed inferio-
 rem venerationem, qualis Dei amicis de-
 betur & penditur. De mole verò cereo-
 rum, quâ iste nos morem gentiliû imitari
 obiectabat, sic idem Hieronymus: *Causa-
 bantur quondam & Apostoli, inquit, quod* Matt. 26
*periret unguentum, sed Domini voce correpti
 sunt. Neq; enim Christus indigebat unguento,
 nec Martyres lumine cereorum: & tamen
 illa mulier in honorem Christi hæc fecit, deuo-
 tioq; mentis eius recipitur: & quicumq;
 accen-
 dunt cereos, secundum fidem suam habent* Rom. 14
*mercedem, dicente Apostolo: Unusquisq; in
 sensu suo abundet. Et infra idem Ecclesiæ
 Doctor discrimen inter nos & gentiles lu-
 mina**

mina

mina accendentes ita ponit : *Illud fiebat, idolis, inquit, & idcirco detestandum est: Hoc fit martyribus, & idcirco recipiendum est. Nam & absq; martyrum reliquijs, per totas Orientis Ecclesias, quando legendum est Euangelium, accenduntur luminaria, iam sole rutilante, non utiq; ad fugandas tenebras, sed ad signum letitia demonstrandum.* Hæc è D. Hieronymo. Quæ idcirco attuli, tum quòd non nemo, atque haud pridem, de luminibus claro die succensis quæstionem mouerit: tum verò præcipuè, vt qui lumina martyribus Dei amicis accenderunt, intelligant non sine sperandâ à Deo mercede accendisse. Descripsi templum, illuminauim martyres, defendi vota: interim ingressi ædem cuncti ordines nouâque in martyrum laudem musicâ perfusi, præstituta sibi loca occuparunt. Nam video Ecclesiasticos ad dextram in dispositis longâ serie subsellijs residere: video ad læuam vniuersum tam territorij quàm vrbis magistratum, vnâ cum Academiâ & Nobilitate & pientissimis Ciuibus, aut concionem aut sacrum præstolari: nam genus fœmineum totam medijs templi complet aream. Ecce & capsas in suo Mausolæo & arâ constitutas, quibus nec tuendis satiatur oculus, nec appetendis animus. Cuiusq; earum

cap-

capfarum longitudo, datum est cubito-
rum; latitudo cubiti tantum; cubiti &
semis altitudo: sed superius ex omni la-
tere in tecti testudineati morem leniter
accliuus, inferius circumquaq; figurâ pla-
nâ. Quaternis insidēt glandibus inauratis.
Imas tabulas limbus succingit triglyphi
formâ similiter inauratus: nec minus su-
periolem quoque coronidem, vnde tecti
acumen exsurgit, politissimè trifurcatam
auri decor imbuit illustratque: quidquid
autē planū, siue antè & retrò sit oblongū,
siue à lateribus quadratum, siue superius
accliuè, id totum holoserico amictu filis
aureis, gemmisque varijs illuso egregiè
purpurascit. Antè & retrò in sericâ planitie
inscripta sunt opere phrygio S S. Marty-
rum nomina in hunc modum: S A C R V M
C O R P V S S . T E R E N T I A N I M A R-
T Y R I S : & in capsâ alterâ . S A C R V M
C O R P V S S O C I I S . T E R E N T I A-
N I M . Bina, latera solo nominis I E S V ,
& M A R I Æ , illo ad dexterâ , hoc ad fini-
strâ, honore, sed arte, auro, gēmis illustri
contenta sunt. Superius autem in accliu
vtrinq; longitudine, singulæ coronæ bi-
nas palmas sese interfecantes complexæ,
atque acu, & arte phrygiâ exarata, auro &
gemmis fulgent. In lateribus porrò eiuf-
dem

dem

dem altitudinis, cū angustius sit spacium, idem tamen emblematis honos, sed opere contractiori renidet. Postremò defluūt ab imis antè & retrò marginibus, panni rubri holoserici, filis item sericis, sed viridibus infernè dependulis pulchrè fimbriati. Nequiuit autem populus, quamuis desiderio æstuans, vetante sepimèto propius accedere. Depositis igitur in tabernaculo suo tam speciosis & preciosis feretris, R.^{mus} Antistes debitâ Reliquarum veneratione functus, è templo ad vestiariū progreditur. Itaq; auctutū vel ab illo solempne sacrum, vel à sacerdote nostro concio expectanda. Sed hæc, opinor (quia R.^{mum} quod in senili corpore procliue est, tãti itineris mora & fatigatio degrauauit) sacro præmittetur. Ita fit. Nouus ingreditur huius Collegij Concionator, alibi quidem sæpius, sed hîc primū de suggestu dicturus, & conciones Duacenas à S. S. Martyrum triumpho inchoaturus. Huic triumphum cum antiquis Romanorum triumphis contulit, & bene meritòq; prætulit: vt maluerit eo audito populus vniuersus, nunquam antè hîc maior, nunquam dignior, vel solam cum his Martyribus ouationem qualemcumq; quàm cum istis Imperatoribus triūphum
quan

quantumcūq; promereri. Absolutâ feliciter concione, dum cuiq; audita expenduntur, vel animi ad veneranda mysteria comparatur, illuc mystæ in vestiario circa Archimystam occupari: Hic cantotes in odeo circa musicam distringi. Dato demum cantus initio, prodire cum solito comitatu R^{mus}. solemniter celebraturus: cui pro Diacono adhebat admodum V^{bilis}. D. Ioânes Virêdelius D. Amati Decanus lōgè dignissimus: pro Subdiacono R. D. Rolāndus le Roy. S. R. E. Protonotarius & D. Petri Canonicus. Sacri modulationē multis expetitam, pluribus laudatam D. Bonhomius, flos huius ævi musicorum, & Ecclesiæ Leodiensis insigne decus composuerat, numerisque ad suauitatem miro artificio aptis egregiè temperarat. Vocum erat duodecim, & tres in choros diuidebatur. Primi chori partes in odeo ipso obtinebāt phonaſci extranei, voce suauissimi, arte peritissimi: quos fama futuræ supplicationis cum numerosâ pube suis excitos vrbibus huc traxerat, voluntariosq; huic celebritati dederat. Quibus, ne quid ad plenitudinem maiestatemque cantus deesset, cornicines alijq; diuersorum musicæ instrumētorum egregiè gnari, gratuitâ operâ accesserant: qui quâ fidibus

dibus

dibus, quâ tibijs, quâ cornibus chorum suam gratâ grauitate roborabant. Secundum chorum in eo peristylij latere, quod ingredientibus ad læuam suspicitur, pro virili suâ tutabantur D. Amati cantores, Tertium ad dextram eiusdem peristylij, siue ad alterum odei latus sustinebāt, qui à Collegio D. Petri venerant cōcentores: qui adiunctis sibi vrbs huius aulædis, choraulis, spondialibus, alijsq; istiusmodi artificibus, canendi palmam pari contentione, quâ ceteri appetebant. Choris singulis singuli præerant de ipsorum numero lectissimi moderatores. Itaque magna æmulatio, & vincendi cupido inter partes fuit, quæ effecit vt nunquam tanta hîc harmonia testibus plurimis hæctenus insonuerit, mentesque ad pietatem & gaudia cœlestia succēderit. Sic igitur Deo factum: sic memoria Sãctorum celebratâ: sic peracta summo cū gaudio sacra mysteria. Nam quis, ô Deus! quis hîc diuinos illos animorum motus, quos in tanto Dei Opt. Max. honore, in tanto SS. Martyrum cultu, in tantâ vnanimæ pietatis confessione persentiscere omnibus, qui sacris intererant, datum est, dicendo, imô cogitando assequi possit? Qui tibi tum sensus fuit ô R^{me}. Antistes (in te enim, in te præ-

præcipuè tota illa confertissimi populi Duacensis pietas ac deuotio, tanquam in optimum Patrem, tanquam in Pontificem vigilantissimum redundabat) quis tū, inquam, sensus? quis ardor mentis fuit? cū hunc tuum gregem, tam lætum, tam pium, tam in Dei sanctorumq; gloriam effusum cōspiceres? Et tu, ô Aquicinctine Præsul longè dignissime (nam huc etiam te video in partem pietatis, quamuis valetudine non firmâ, quamuis senio retardante, de quiete tui Cœnobij quietissimâ, in urbem propter solos Martyres colendos profectum, atq̄e in hanc ædem tibi merito tuo notissimam ingressum) quid tu, inquam, isto in loco ac tempore cogitabas? cū in tuo Societatis Collegio (tuum enim uoco quod à secundo Antecessore tuo fundatum, nouis copijs auxisti, & structurâ illâ prænobili, tam Theologiæ, quàm Philosophiæ, quàm humanitati commodissimâ, & cui, ut uerbo dicam, parem aliam urbs hæc non habet, liberalissimè exstructâ, amplificasti) cū in tuo, inquam, Collegio & in hoc Societatis tuæ templo istam celebritatem pietatis & sanctimonix plenissimam inspectares, quid cogitabas? quid considerabas? quas Deo grates, quas Sanctis laudes

in abditiis mentis tuæ penetralibus pertra-
ctabas? Et vos verò, ô amplissimi & pie-
tate & dignitate Magistratus, ô sapientis-
simum vrbis Consilium, ô corona civium
pientissima, quando ex vicinis agris con-
currentia agmina, quando è finitimis vr-
bibus confluentia examina, in hanc urbem
& hanc ædem, quando tot denique futu-
ros & magnificentiæ vestræ & religionis
testes aduertistis, quando hîc ad ornatas
à vobis Reliquias vota fundentes adspe-
xistis, quid animo voluistis? quid mente
agitastis: quid, inquam, nisi opis operæque
vestræ abundantem hodie vos fructum,
tali ac tam pio, tamque & mortalibus &
immortalibus grato spectaculo percépif-
set, atque percipere? Ecce enim ad SS. Cor-
porum venerationem fluentes ac refluen-
tes undas, ecce preces, ecce vota, ecce
suspiria, ecce admirationes. Quibus quid
æquandum? quid comparandum? Sed
me in fines meos reuoco, & cōclusâ tem-
pli voluptate ad aliã voluptatem stylium
traduco. Inuitat enim noua lætitia: nēpe
post illas cœlestes epulas, quibus pastæ a-
nimæ, aliud epulum à munificentissimo
Magistratu datum: epulum, inquam, ma-
gnæ semper solemnitatis, & nunc & olim,
(vt è diuinis quoque litteris cōstat) iusta,
atque

SS. TERENT. ET SOC. MM. 177
atque ad explendam lætitiã comparata
appendix.

C A P V T X I X.

*Epuli à Magistratu dati lætitiã & doctã
hilaritas.*

P O S T prolixam in æde sacra ses-
sionem, hoc est solemnis officij
atque mysterij preces, quamvis
sol iam meridiem superasset, ta-
men aliquod spatium receptui siue in do-
mos cuique suas, siue quò cuique animus
esset, ante mensam & accubationem da-
tum, fuitquẽ illud circiter semihoræ, nec
multo amplius. Post quod itum in cena-
tionem, & lymphæ manibus, & benedi-
ctio super mensã. In eius capite R.^{mus} An-
tistes Atrebatensis: proximi Abbas Aquicin-
ctinus Collegij huius Duacensis fundator
& amplificator, & indè eximius D. Ioan-
nes Virendelius, S. Theologiæ Doctor, &
D. Amati Decanus longè dignissimus:
deinde partim vt dignitas & nobilitas, par-
tim vt fors dabat, alij confederunt. Primi
quos amplior honos sequestrabat: pars
M multò

multò maxima, vt in Religiosâ domo, sic & moribus modestis promiscuè & indiscriminatim . Nam qui ferius aduenere, haud voluerunt ijs, qui sederant, molesti esse: sed vbi erat locus, ibi voluntate subsederunt . Numerus in triplici ordine mensarum, centum duodeuiginti in primâ censatione fuit . Nam de alterâ, vbi etiam plures, sed vicibus diuersis, nihil dicam . Denique tota philosophicè Christiana, & Christianè philosophica mensa & conuiuium fuit: in quo non minùs doctorum eloquiorum pabulo mentes, quàm aliarum appositu epularum corpora refecta sunt. Id videlicet sapientissimus Magistratus præuiderat, proptereaquè sumptus dare epuli voluerat, sed epulum noluerat: hoc est inuitare in domum senatoriam abnuerat, sed inuitari in Collegium expetuerat: vbi & plus veræ à doctrinâ recreationis foret, & minus ab intemperantiâ periculi: cùm nimirum minimè hîc metuendum esset, ne aut modestiam cõuiuij, licentia comessationis; aut sobrietatis leges, insolentia temulentia; aut seriam sermonum urbanitatem, falsa conuitorum maledicentia interturbaret. Nec sanè Magistratus animi falsus est: siquidem nihil ab honestâ disciplinâ, nihil à Christiano
more

more deflexum est: sed corpori satis & animo plusculum est cōtributum. Nam quod à conuiuis & potissimè à Magistratu, cui in hac solemnitate nos plurimum sensimus obligatos, expetebatur, varijs linguis SS. *Martyrum* TERENTIANI, eiusq; socij laudes à nonnullis è Societate nostrâ earum linguarum gnaris (nam eius rei maior hîc, quàm alibi, ob Theologiæ, Philosophiæque Seminarium facultas est) per formam breuis encomij inter prandium sunt recitatæ. Quâ ex re plurimi longè amplius se recepisse fassi sunt voluptatis, quàm non modò ex hoc, vbi tamen nihil admodum desideratum est, sed etiam ex quouis alio epulo & lautiore, & magnificentiore, vbi hæc deficerent mentis & intelligentiæ fercula, percepisse vnquam meminert, aut deinceps percepturos sperēt. Illos Hebræa lingua attentos fecit: Græca suspendit: Osca stupefecit, Latina docuit, Itala delectauit, Hispana cōmonuit, Germana roborauit, Gallica, Flādrica, Anglica, Ibernica, cæteræ suo quæq; modo, vel sermone, vel re, vel gestu traxerūt: sed nulla magis quàm vetus Leodica & traxit & tenuit & recreauit; Quippe quã ferè õnes, vt originè Gallicã; sed aliorum populorū vicinitate confusam, partim intelligerent,

partim colligerent : nunc ad verborum proprietatem arrecti : nunc ad prouerbiorum acumen attēti : nunc ad rhythmorum elegantiam (erat enim tota panegyris rhythmicè, grauitè, pièq; concinnata) suspensi, læti, exultabundi . Dicebat enim vnus è Condruſijs: quæ gens linguæ Leodinæ, & priſcæ, vt vocant, Romanitatis eſt retinentiſſima . Placuit verò & carmen vnum ſanè ſingulariter, eodem ſcilicet ab auctore ſuo, ſpiritu recitatum, quo fuſum : hoc eſt acri, celeri, vehementi, amorisq; & venerationis Sanctorum pleno. Ipſum de ſe loquetur. Nam eius exemplum hîc ſubijcio :

TERENTIANE, magnè Cælorum
incola,

Superiſq; ſyduſ additum, fax ætheris,
Interg; Diuos Diue palmaris, Deo
Superiſq; pridem note, ſed nunc Belgicis,
Celebrande faſtis, ô tuo! ô noſtro bono.

Magiſq; noſtro, qui tot incincti malis
Inde inde petimus ſoſpitatricem manum.

TERENTIANE, qui tuæ animæ prodigus
Ignes vel enſes flammeo irrumpens gradu,
Hac purpuratos Martyrum auxiſti choros.

TERENTIANE, qui prius ſacellulis
Priſcillianis, parte dimidiâ tui,

Annis

*Annis cubasti mille, nunc fausta alite
Urbi Duaco lucifer tandem datus.*

TERENTIANE, pace mihi liceat tuam
Te verbulo appellare, quis hodie tibi
O magne Martyr, quis hodie tibi fuit
Sensus vel animus? quanta letitie seges
Tripudiumq; mentis, illapsus polo
Roseaq; cinctus nube, dum lustras tuam
Obisq; pompam, dum nouis passim vides
Calere studijs corda, nec minoribus
Ardere flammis, quam breui ardescit Cane
Succensus ether, dum tibi effusa obuiam
Examina populorum & ingentia virum
Agmina patenti cernis occursum in tuum
Equitare campo, dumq; cuium globos
Cuneosq; totis, instar undarum, vides
Proruere portis, & tuas fragoribus
Resonare laudes, aeneoq; mœnia
Concussu mugitu, triumphanti undiq;
TERENTIANO plaudere! ô diè aureum!
O gaudia! ô solamina! ô plausum! ô Deum!
Tibi verò nostris dum propinquas mœnibus,
Urbis Patroni Calites, duo lumina,
Amatus, & Maurontus è suo obuiam
Ière templo, mutuisq; amplexibus
Tantos triumphos gratulati, lucidos
Iunxère currus. Interim tota in tuos
Animata plausus, nobilis flos Belgij,
Ibat inuentus. Manibus illucent faces,

182 TRIUMPHVS SACER
Pectoribus ignes. Omnibus amor unicus,
Honor unicus, TERENTIANO candidâ
Lucere flammâ. Vota Patrono nouo
Iacit omnis atas, & clientelam rogat.
Quis animus ergo, quis tibi sensus fuit
O magne Martyr, tanta dum roseo aspicias
Inuectus axe? Quam tibi vilis modo
Iacet Tyrannus? vilis infamis specus,
Vilis catasta, vilis equuleus, & crucis
Mors lenta vilis, dum tot illa percipis
Oblitterata gaudijs? vine ô decus
Iubarq; nostrum, vine, & è Superum domo
Urbem Duacum, quosq; cernis hic tue
Præclara pompe decora, magnates viros,
Precibus, & armis, & tuo auxilio tege.
Vos verò, vos ô Prodromi magni ætheris,
Vocesq; mundi, tuq; testis facinorum
O prome conde lucis, & operum arbiter
Sol magne, tuq; FAMA rerum nuntia,
Centumq; linguis garrula, & centum tubis,
Ite, ite, mundum permeate, dicite
Terrisq; gentibusq;, quas cælum tegit,
Urbem Duacum nobilem, toto impetu,
Animisq; magnis martyri famâ inclyto
TERENTIANO perlitasse: dicite
Theatra, Conopæa, tedas, tonitrua,
Aras, columnas, arcuumq; fornices,
Varijsq; musas illitas coloribus
Apollinisq; penè consumtum penn.

Tan-

Tandemq̄, fessis auribus tanto ordine

Miraculorum, verbulo rem claudite,

Hocq̄, addite epiphonema pro coronide:

TERENTIANO MARTYRI, ET SOCIO,

INCLYTIS

DIVIS, DVACVM TVMVLVS EST,

CÆLVM DOMVS.

Attulerunt autem & aliquod haud insuaue auribus ferculum, partim tubicines, partim cornicines, qui de areâ censationem ambiente, tum tubas, tum cornua, hinc, atque hinc aliquoties gratissimâ modulatione inspirarunt. Iam verò,


Postquam exempta fames epulis, mensaq̄ remota.

Siue potius, Postquam actæ Deo largitori benefico gratiæ, tum ad triumphum TERENTIANI, manè quidem acti, sed multis, quod in pompæ ordine essent, non visi, seriem, atque magnificentiam cominus spectandam, exiêre in proximum conuictus Aquicinctini pratum plerique omnes conuiuæ, & totam triumphum pompam, vastum illum viridis prati circuitum obequitantem, magnâ cum voluptate inspexere. Quo etiam loco ludentibus cornicinibus, natiua Echo vlti-

184 TRIUMPHVS SACER
mis colludens soni reliquijs, tanquam
& ipsa pars gaudij esse amaret, auribus
attendentium melos dulce iam finitum,
nec adhuc finitum, remittebat. Postre-
mò cum Cornicines tacuerunt, Echo
siluit, Auditores abierunt: ego item, &
stylus tantisper recedimus, ad vespervas
redituri.

C A P V T XX.

*Totius Triumphi, & Celebritatis
conclusio.*

 V A R T A est pomeridiana ho-
ra, & æra Campana vltimùm ad
vesperas vocant: concurritur à
populo multis vijs, & in ædem
frequenter intratur. Templi ornatus, quod
turba, licet multa, tamen quàm manè mi-
nùs densa, oculos minus impediatur, libe-
riùs, fixiusquæ spectatur, spectatus lauda-
tur, laudatus, si sensus est, gloriatur. Sed
eam gloriationem ista superior & incom-
parabilis musica, vocibus suavis, nablijs
gravis, cornibus acuta, organis varia, suo
quodam iure interpellat, & de voluptate
oculorum, & aurium, templi ornamento
cer-

SS. TERENCE. ET SOC. MM. 185
certamen mouet. Dirimitur autem æquâ
vtriusque laude, & pari ad pietatem inui-
tamento. Nam ad musicæ commendatio-
nem accesserat gratissima in psalmis va-
rietas, nunc per binos, nunc per ternos
choros, & iam coniunctos, iam disiectos
excitata. Interim visu audituque demulsa
turba miratur nihil se oculis videre, quod
nō probet; nihil auribus audire, quod non
laudet; miratur terrenam in mortali ma-
gnificentia voluptatem, in voluptate ma-
gnificentiam, & qualis sit futura illa caele-
stis, de qua nimis mirabilia in oraculis di-
cta sunt, quantum imaginari humana in-
firmitas potest, imaginatur, & imaginando
aspirat, & aspirando anhelat. Sed ô mor-
talis imbecillitas! breui post relanguescit:
deinde & tepescit: postea & refrigescit.
Hæc est scilicet rerum vicissitudo. Ita pro-
ficit, ita deficit, ita mutatur animus, iam
sursum à gratiâ eleuatus, iam deorsum à
naturâ depressus. Sic nimirum transeunt &
ipsæ cū suo cantu, quamuis suauis, quamuis
vario, vesperæ, multo meliores, si non tran-
sirent. Sic & hominum pij cogitatus præte-
reunt, longè beatiore, si permanerent. Hoc
tamen superat in hisce bonis, sed fugitiuis,
boni: quod hodie & in hoc loco nonnullæ

aspirationes ad cælum , anhelationes ad Deum , vnà cum nonnullis etiamnum referuatis earum reliquijs, in piorum mentibus fuerint , & posthac fortasse ex memoriâ huius celebritatis, nō semel, sed sæpius futuræ sint. Et ecce post vespertas itum domum , sed inde rursus in templum tribus ferè post horis remigratum , & tam constanti populo, quàm frequenti . Siquidem hymno *Te Deum*, & alijs sanctorum Martyrum laudibus modulamine suauissimo decantatis , eousque sunt deliniti , aut inspiratâ cœlitus pietate detenti, vt in horam vsque decimam ab octauâ multi perseuerarint. Tum enim idem & finis canendi, & illis initium fuit abeundi. Et quamuis nox esset , tenebræ tamen non erant : atque si fuissent, ignes à Magistratu pluribus in locis in honorem Martyrum, in lætitiâ ciuium excitati, depulissent . Nam strues lignorum ingentes interiectâ materie piceâ, cum iniectas concepissent flammâs, clarissimam in multifida compita longè latèq; lucem dispergebant , & simul cum luce præpinguia triumphalis rogi spolia, huc illucq; per vagum aërem pulcra auræ ludibria differebant . Talis pyra in quadrum altè erecta, pro templo ipso, velut vespertinum Sanctis Martyribus holocaustum,
sparso

sparso latè incendio exarsit. In foro item
 & pro curiâ & alibi, eadem voluptas illu-
 xit. Adde ad diei & lætitiæ complemen-
 tum, bellicas machinas è mœnibus (quòd
 nonnisi magno in gaudio & admodum ce-
 lebri solemnitate factitari solet) hac eadē
 nocte, mugitu festissimo pertonuiffe. Sic
 ergo dies ille transijt, citò inchoatus, tardè
 finitus, imò dies vnus vtrique nocti, à qui-
 bus haud paruum mutuatus est, siue illâ
 desinente, siue hac inchoante, portionem,
 tantidem debitor. Postridiè porrò & con-
 sequētibus octonis præsertim diebus, tum
 urbana, tum rusticana in hac æde pietas
 propter Sanctum TERENTIANVM perdu-
 ravit. Sacerdotes eiusdem respectu hîc fe-
 cêre multi: multi omnis ordinis atq; sexus
 eiusdem solemnitatis ansâ, quo sanctos
 puriùs colerent, morum impuritatem po-
 suerunt. Sed quid taceo datam altero à
 supplicatione die, ab Aquicinctinâ iuuen-
 tute, in theatro aulæ nouæ, Sancti TEREN-
 TIANI de vitijs victoriam, & victoriæ mo-
 dum? Res sanè pulcra fuit, &, vt ne tacea-
 tur, fructuosa. Inducebatur enim in imo
 proscenio TERENTIANVS, sed ad Christi
 Domini amorem perfectum, per multos
 tentationum gradus, quos & ipsa scena
 habebat, aspirans. Si ergo vnum gradum

con-

conscendere attentabat, incurrebat Tribulatio: Quâ deuictâ & vno iam gradu conscenso, ad alium nitenti ingerebat se Angustia: pugnabat contra & expugnabat, simulquē gradu altero potiebatur. Sed superatâ Angustiâ, mox ingruerat Fames, cōtra quam similiter stabat, & tandem edomabat, altiusquē scandebat. Sed in alijs consequenter gradibus aliæ restabant pugnae, alia monstra. Ne multis. Vicit omnia exemplo illius, qui diuino fretus auxilio confidenter exclamauit: *Quis ergo nos separabit à caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Pro quo TERENCE-
 NVS, si non verbo, at facto, ita secum: *Quis nos impediet? quis amolietur? quis retardabit à caritate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? &c.* Nam & tot gradus contrâ nitendo scandendi fuerunt, quot illa monstra erant: & tot domanda monstra, quot ibi gradus virtutum, Deo vocante, ducente Angelo, superandi. Vicit ergo TERENCE-
 NVS & triumphauit. Quis erat tunc spectatorum, qui non secum animo agitaret, talem ferè pugnam sibi intus esse pugnandam, qualem nunc foris videret à TERENCE-
 NVS depugnatam? Quotus erat quisq; auditorum, qui non ita secum
 ratio

c. 8. ad
 Rom.

ratiocinaretur, & diceret? Verè ita rem ha-
 bere, ita nobiscum agi: nulli ad triumphū
 iter esse absque victoriā: nulli gradum ad
 victoriam sine pugna? ô si hoc altè fixum
 animis! si hoc profundè impressum cordi-
 bus omnium mortalium foret! Næ, præ-
 claras pugnas, insignes victorias, illustres
 triumphos cerneremus. Non est pugna,
 non est victoria, non est triumphus, qui
 possit cum eiusmodi monstris vitam hu-
 manam infestantibus decertanti, has exi-
 tiales lænas vincenti, de his immanibus
 portentis triumphanti, vllâ ex parte com-
 parari. Certasti, vicisti, triumphasti T E-
 RENTIANE, tuque & confors tuus, &
 olim vobiscum vnâ multi: quorum vt nu-
 merus quotidie, si non fuso sanguine, at
 fundendi promptitudine & voluntate ex-
 crescat, este vos, amabo, benigni apud Deū
 propitijque deprecatores: atque ita este, vt
 si quidem in gentem vllam aut urbem
 propensi, certè in Catuacos & urbem hanc
 Duacenam, quæ ita vos expetijt: quæ sic
 excepit: quæ adeo honorauit: quæ se piam
 vobis clientem deuouit: quæ vos sibi fide-
 les patronos adsciuit, primò ac potissimè,
 & quidem quàm propensissimi sitis. Ita
 regnate sancti, ita triumphate beati.

CAPVT XXI.

Venerationis SS. MM. fructus.

POSTEA QVAM omnem, quæ ad SS. MM. TERENTIANI, eiusque Socij translationem & in translatione pompam cultumque attinebat, Deo cæptis nostris propitio, narrationem absolui: hoc mihi vnum restare ad piorum clientum consolationem videtur, vt fructus qui ex SS. Reliquiarum veneratione nati sunt emergere, olimque emerferunt, paucis velut pro operis corollario expediam. Hinc enim videbitis, ô ciues Duacenses longè pietissimi, quid à vestris SS. MM. (quorum sanctissimas exuias quâto potuistis maximo honore affectistis) exposcere, quid sperare, quid expectare debeatis. Quod enim Dei Opt. Max. immensa benignitas, nonnullis SS^{rum}. Reliquijs tribuit gratiæ atque virtutis, siue ad corporum morbos pellēdos, siue ad animorum curas dissipandas; id argumentum est opem similem à similibus Martyribus impetrari posse: id calcar est paria beneficia confidenter postulari debere. Siquidem princeps istorum bonorum

rum

rum operum auctor est Deus : qui & præstare per se potest, & præstare per Sanctos solet. Vt enim per illos preces mittimus, sic per ipsos dona recipimus. Quæ autem dona? Dicit vobis, cuius est maxima inter Sanctos Patres auctoritas, S. Ioannes Chrysostronus & dicit illo ore aureo, illâ cælesti suâ voce, quâ olim ad gregem Antiochenum optimus pastor est usus. Cùm enim extra vrbis Antiochenæ portas ad nescio quos ludos & spectacula populus decurreret, ipse vsurpatâ SS. MM. memoriâ, & allegatis SS. reliquarum maioribus, atque vberioribus, quàm ista esset friuola & inutilis extra portam Daphniticam oblectatio, emolumētis, tali eum adhortatione retraxit : *Quid queso, inquit, properas ad suburbium ciuitatis? Ecce suburbium Hierusalem illius, quæ sursum est: ecce Daphne spiritalis. Illic fontes sunt aquarum: hic fontes Martyrum. Illic cupressi, arbores infructuosa: hic reliquia Sanctorum sunt ac radices quæ in terrâ plantatæ sunt, & ramos in calum protendunt. Visne ramorum etiam istorum fructum intueri? Aperi nobis oculos fidei, tum subito mirabilium tibi fructuum naturam ostendam. Non enim pomorum aut nucum, neque aliud quidquam eorum quæ corrumpuntur & pereunt, horum ramorum*
est,

Orat. in
S. Iuliani
nū Marti

est fructus: sed corporum mutilatorum sanatio, & peccatorum remissio, abolitio vitij, morborum animæ curatio, oratio continua, fiducia apud Deum, spiritalia cuncta bonisq; celestibus redundantia. Et paulo post, de S. Iuliani Mart. corpore ita pergit: *Quà multi, inquit, ex quo plantatum est corpus istud in terrâ, sexcentas sanationes ex hoc sancto loculo decerpserunt, nec fructus defecit? messuerunt segetem, nec consumpta sunt spicæ? è fontibus hauserunt, nec exinaniti sunt latices? Sed perennis est quadam scaturigo nunquam deficiens: sed eo, quod haustum est, copiosius semper miraculum germinans effundit.* Ita ibi D. Ioannes Chrysostronus: qui non tantum medelas corporum, sed salutes quoque animarum, siue spiritalium morborum curationes, Sanctorum reliquijs acceptas refert. Ac de medelis quidem corporum, satis testimonij habent ea loca, quæ superius è D. Ambrosio, D. Augustino, Prudentio, alijsque dispersim attuli. Animorum verò sanationes, etsi perinde atque ipsi animi, sint occultiores, nec oculis corporeis clarè pateant, tamen & quædam signa interdum foris emicant, quibus accepta è cultu ac veneratione SS. Martyrum, interni spiritus remedia colligantur. Nam precandi ad eorum cor-
pora

pora aut sepulcra feruor, eluendarum animæ noxarum ardor, participandorum sacrorum mysteriorum æstus: & post hæc cordis hilaritas, corporis modestia, sermonis grauitas, motuum denique omnium melior compositio, hæc inquam omnia, & eiusdem generis plurima an non fructus spirituales & interna emolumenta, quamuis maximâ sui parte lateant, tamen satis manifestè contestantur? Nam his certè S. Augustinus & cum de S. Cypriano populi ad eius Basilicam confluxu ac deuotione agit, validè suffragatur. *In eo quippe loco, inquit, ubi posuit carnis exuias, sæua tunc multitudo conuenerat, quæ propter odiû Christi, sanguinem funderet Cypriani: ibi hodie venerans multitudo concurrat, quæ propter natalem Cypriani, bibit sanguinem Christi. Et tanto dulcius in illo loco propter natalem Cypriani, Sanguis bibitur Christi, quanto deuotius ibi propter nomen Christi, sanguis fusus est Cypriani.* Ita D. Augustinus. Cui admodum conformiter in natali S. Felicis Nolani Martyris, versibus pientissimis concinit D. Paulinus, qui inter alia eiusdem Martyris in clientes suos beneficia, hæc miscet:

*Tum si quos grauiore modo violentior hostis
Vinxerit, ista dies diuino munere soluit.*

N

Cer-

*Cernere tunc passim est sacrâ purgata medellâ
Pectora liminibus sterni, iam mente refectos,
Gratantes iam voce suâ. Concurrit hiantum
Turba tremens hominum: mista inter gaudia
cunctis*

*Profiliunt lachrymę: presens Deus omnibus illic
Creditur. IMMENSI FELIX EST GLORIA
CHRISTI.*

Sic fuit & S. Terentianus, tum eo die quo in hanc urbem inuectus est, tum eo quo in domicilium suum & sacram habitationem trāflatus, tum denique illis deinceps consequētibus diebus, quibus ad eius, Socijque venerationem magnis studijs, magnâque pietate concursus est. Fuit, inquam, TERENTIANS eiusque Socius, IMMENSI GLORIA CHRISTI. Siquidem inuitantibus eorum sacris reliquijs multus ad pietatem (quæ Christi est gloria honósq;) Duacensis finitimúsque Duaco populus confluit, nec dubium quin melior quoque & cælesti cōsolatione auctior recesserit. Nec desunt sanè qui & eorundem SS. Martyrum nostrorum meritis adeptas in corporibus fanitates præ se gerant: de quibus aliàs fortè speciatim. Postremò, vt ne sim in re quæ sermonem omnem & exemplis & testimonijs excedit, lōgior: tantùm hoc vnum è D. Ioanne Chrysofostomo adijciam, quo docet

docet à SS. Martyribus non priuatas tantum, siue in corporibus, siue in animis utilitates expectandas, sed etiã ac multò magis publicas, tam in cõmuni ciuium pace seruandã, quàm in protegẽdis ab omni hoste vrbis mœnibus, publicas commoditates. Hæc sunt tanti Patriarchæ verba: *Sanctorum*, inquit, *corpora, quouis adamantino & inexpugnabili muro tutius nobis urbem communiunt: & tanquam excelsi scopuli undiquaq; prominentes, non visibillum modo hostium impetus propulsant, sed etiam inuisibillum demonũ insidias, omnesq; diaboli fraudes subuertunt atque dissipant, non minùs facile, quàm si fortis vir aliquis puerorum ludicra subuerteret ac prosterneret. Et cætera quidem hominũ machinamenta, ut muri, fosse, arma, militum copie & quæcunque ad incolarum securitatem excogitantur, ab hostibus possunt, alijs pluribus vel maioribus machinis repelli: cum verò Sanctorũ corporibus munita fuerit ciuitas, isti licet infinitas impendant pecunias; vrbibus, quæ Sanctos habuerint, minimè poterunt æquales machinas opponere. Nec tantum contra hominum insidias aut demonum fallacias utilis nobis est hæc possessio, sed licet communis nobis Dominus ob peccatorum multitudinem irascatur, poterimus his obiectis corporibus, cõtinnò eum reddere placabilem ciui-*

*in orat.
de Mar-
tyribus
Ægyptijs.*

tati. Nam si qui multa præclare gesserant, sanctorum virorum nomina prætendentes atq; ad Abraham, Isaac & Iacob appellationem confugientes, nonnihil solatiy sunt affecuti, & magnam ex horum nominum commemoratione utilitatem acceperunt: multo magis nos tantum nomina, sed ipsa, quæ decertarunt, corpora prætendentes, Deum propitium & benignum habere poterimus placatum. Sic S. Chrysostomus. Cuius si nõ verba & locus ille iam laudatus; certè res ipsa, & spei in SS. Martyres confidentia, amplissimo Magistratui Duaceno, totique adeò ciuitati tum inhæsisse medullitus videtur, cum se ad eos in urbem suam excipiendos, in vrbe honorãdos, per urbem cum triumpho duccendos, tot in tabernaculis deponendos, tot occurribus, tot plausibus, tot ignibus, tot alijsq; lætitiæ indicijs ornandos atque amplificandos, omni ope atque operâ incubuerunt. Quorum omnium etsi in ipso pulcherrimo factõ, vberem fructum perceperunt, tamen in meliori æuo, etiã infinitis modis vberiorẽ eos esse percepturos prorsus confido, & vota mea in hoc album omnia dirigo.



P R Æ F A T I O

Ad vota Heroïca.

ΑΓΝΩΣ ΚΑΙ ΚΑΘΑΡΩΣ.



AMETSI ego quidem pro meâ virili, primò SS. Martyrum honores, deinde pietatis vestræ sanctissimos conatus ô, T E R E N T I A N A pompa (sic enim totam nouorum patronorum clientelam & quidem dignè posse videor compellare) nitidæ & in affectatæ orationis stilo ita exprimere laborarim, vt neque volens quidquam præterirem quod scribendum, neque sciens scriberẽ quod prætereundum videretur, tamen in diuersitate ingeniorum & gentiũ, vereor, vt ab vllò, nedum à me, omnibus ad amissim

N 3 fieri

fieri satis possit. Et extranei quidem huc inclinabunt, vt rem verbis adau-
ctam; nostri urbani, vt potius immi-
nutam dicant. Ab vtroque scopulo
cymbulã conatus sum meam intento
studio abstinere, & oram primi litto-
ris potius tutò legere, quàm in alto
mari ex stellis nauigare. Nam certa
& mihi visa, fideliter perscripsi; de in-
certis inquisiui semel, iterum, sepius,
nec nisi multorũ iudicio steti. Quare
haud existimo vspiam calamũ meum,
vbi aliquod saltem sit operæ recium,
in alterutram partem, quantum qui-
dem assequi stilo datum est, vel ser-
mone, vel silentio, imegisse. Atque si
fors imegit, & quispiam est offensus,
etsi venia esset imprudenti danda, ta-
men affero pro reconciliatione vòta,
sed vt ille monet, Ἄγνως καὶ καθαρως. *Ca-
stè & purè*: non animo tantum, non
corpore duntaxat: sed oratione item
& stilo: quem castum, quem purum,
quem sincerum, quem verum feci: vt
ne hæc, quæ ego sponte aucupor, de-
menta

spiciant, qui nihil inter vota & fig-
menta distinguunt, qui nihil miran-
tur nisi,

*Antiphatem Scyllamq; & cum Cyclope
Charybdin.*

Quos tu si sequaris, vide fis, semper,
etiam in votis, etiamque in sacrificijs.

— *Nubes & inania captes.* Adfero
igitur ego vota, verè vota, in quibus
potissimè illud valere scio solemne in
sacris & vsitatum: *Hoc age.* quo nimi-
rum monemur, tum maximè, dum
rem sacram agimus, non aliud agere,
sed vni intenti, vno contenti esse, nec
eos in votis imitari, quibus meri-
tò occini possit:

*Sed nunc non erat his opus, & fortasse
cupressum,*

Scis simulare.

Itaque *Hoc agam,* & vota mea (vt
hoc in limine indicem) ijs dicata
sunto, quibus inscripta.

S.S. MAR.



SS. MARTYRIBVS
TERENTIANO
 ET SOCIO,
PRO SINGVLIS DEVO-
 torum sibi clientum ordinibus
 Vota Heroïca,



Æ, pia solliciti referent
benefacta laboris
Emeritas Laurus, & qui
immortalia Diuûm
Lipsana vel coluit votis, vel honoribus
auxit,
Non mihi, non Superis, non cælica sceptrâ
tenenti

Indo-

Indonatus eat: pleno sed præmia cornu
 Densa fluant, animosq; & corpora leta
 beatis

Affundant Donis. Quid enim? Quia re-
 gia Virtus

Ipsa suis confisa bonis nil munera curet,
 Propterea Pietas nobis inhonora faceſſat?
 Haud ſinit, haud, penitas torret qua flam-
 ma medullas,

Nec meritis. patitur vacuos abſiſtere pal-
 mis,

Qui diuūm exuuias voluēre effulgere tātis
 Seu fului precijs auri, seu pondere gemmę.
 Quiq; alacres, quāto ſpolijs immanibus eſtu
 Hoſtis hiat, tanto leti incubuēre labori
 Cęlituū ornandę per larga impendia pōpę.
 Quare age de læto proſurgāt munera ſūdo,
 Munera quanta ſolent & qualia mentis
 oriri

Intra caſtifica, fuſis ſacraria votis.

P R O

PRO REVERENDISSIMO
D. HERMANNO

OTTEMBERGO,
Diœcesis Atrebatensis Episcopo vigilan-
tissimo, & S S. Martyrum cultore
religiosissimo.

VOTVM PRIMVM.



*ERGO ades huc princeps, qui munia
principis alti
Sanctus obis, sacri perfusus rore
fluentis
A capite in barbam, à barbâ in pectus, ad imos
Inde pedes olei, ô Atrebatæ nobile gentis
Instar, & æternam gestans in fronte tiaram
Antistes, Italâ de Belgis de gente remissus
Belgatus, sancto virtutis honore refulgens.
Prima tibi primo debentur vota, capesse
Primus: at exiguo, fateor, manantia fonte,
Sed claro & nullâ temerato face pudendæ
Sortis, & efficti nineâ sub fronte coloris.
Lipsana spectasti pugilum sacrata duorum*

Ema

Emagnâ Hesperia fortes innecta per oras
 Belgiadum, & doctis Catuaci sedibus altum
 Defixura decus nullo prolabile seculo.
 Cunctâq; solerti rimatus ab arte sacrorum
 Pontificum, cultus princepsq; auctorq; fuisti.
 Quin etiam proprijs pepulit te finibus ardor
 Per rura aestiuasq; vias, nubemq; calentis
 Pulveream vëti socium decedere, tunc quum
 Vicino Atrebatum solio defleta migrarent.
 Atque ubi per claro florentes nomine terras
 Pieridum, & totas spirantia compita Musas,
 In sua ferrentur, caelestia pignora, templa,
 E gremio Pietas tecum sata iugis eodem,
 Applicuisse latus, comitemq; harere propin-
 quum
 Impulit, & magnis operari festiùs aris.
 Nam, licet effætis, superabat vivida membris
 Vis animi, ignifero Diuûm succensa calore.
 Hinc ego Martyribus pro teq; tuisq; (secundet
 Illa Deus) facio totâ hæc faustissima mente
 Vota: Tiara tibi micet aurea & obsita gemmis
 Virtutum, geminoq; biceps flamme scaturire amore
 Hinc magis atque magis. Quoties & cumque
 sacratâ
 Pastorale pedum dabitur contingere dextrâ,
 Detur

Detur ut in caulam toties, cætumq³ fidelem
 Palantes reuocare greges & scribere cælo.
 Gloria scis etenim, prima hæc Antistitis, illò
 Dirigere excubias, sacra templa ut densus
 inundet

Cõfertim populus, biforesq³ sub impete valuas
 Arctet, & angustas faciat confluxibus ades.
 Insidet hæc, scimus, lætiq³ applaudimus ultro,
 Insidet hæc tibi cura animo: tibi sidera testes
 Intendunt oculos vigilaci fulgida nocte
 Conscia nocte precum, quàm conscia luce la-
 borum.

Sed precor effusis, precor hæc superaddere
 votis:

Vt figes ubicumq³ graui vestigia gressu,
 Hic pariter figant, quos es comitatus euntes,
 Martyrij croceo radiantes stemmate Diui,
 Atque latus cingant, sacrã seu stabis ad aram,
 Incensasq³ preces & thure calentia vota
 Fusurus Superis calique soli que sequester:
 Publica tractabis seu corde negocia puro,
 Discernens equã surgentia iurgia librã.
 Denique seu terras, & seu rimaberis astra,
 Iste ut sordescant, hæc ut speciosa nitecant,
 Fulgeat hoc ipsis par Diuùm clariùs astris,

Nes

*Neu pede, neu lato procul abstet lōgius ungui:
 Sed certo securaregant vestigia filo,
 Dum grauidus senio, palmisq; beatus opimis,
 Et vitæ satur istius, meliora requiras
 Angelicis conuiuia nouus noua fercula mensis.
 Seu sint ambrosiæ, seu fercula nectaris: vnus
 Pro suauis ambrosiâ, pro dulci est nectare
 Christus.*



Pro Magnificâ & Venerandâ almæ
 Vniuersitatis Duacenæ Aca-
 demiâ.

VOTVM SECVNDVM.



*ADVENIAT nostris & Docta Aca-
 demia votis,
 Cuius in externas latè iam didita
 terras*

*Fama volat, veroq; minor (nã maxima laudis
 Pars est mirificis laudes transcendere factis)
 Haud vetus illa quidem, sed quæ iam nomine
 claro*

Æquiparet veteres, præeat splendore recetes.

Ad-

*Adfuit hac celebri non ultima gloria pompa,
Prima magis, doctrina animos si pondere
penses.*

*Hic tibi Magnificus, decorat quem purpura,
Rector*

*Doctoresq; alij, varius quos pingit amictus,
Seu quos Eximios diuina scientia, seu quos
Ius legum Claros, aut prompta medela Peritos
Expertosq; facit: seu quos data Laurea vulgo
Secernit populi, & titulis ac stemmate supra
Obscuros sustollit auos, horum agmina magnis
Stipatum studiis, cultuq; habituq; triumphum
Ornauere suo, & pulchra cinxere coronâ.*

*Quid tanto dignum comitatu comprecet? Euge
Interpres animi Ratio, & Rationis amica
Virtus, cunctorum tacitis sub corda subite
Cum facibus, totosq; intus clarate recessus,
Atq; abstrusarum mysteria pandite rerum.
Ut quibus haud aliud Virtute & Acumine
mentis*

*Plus placet, accrescat Virtus, accrescat Acumẽ.
Haud tamẽ, ut modium subter succensa lucerna
Splendeat, & densas foris illustrare tenebras
Negligat. Ingratum hoc facinus, mentisq;
maligna,*

Quodq;

Quodq̄ boni, testor Superos, cane semper &
angue,

Atque Erebi portis oderunt peius auaris.

Sed cumulare meis vota altera & altera votis

Quid vetat, & placitis quater aurea secla

Camænis

Poscere, posterior quæ nulla oblitteret ætas?

Ergo age, quæ magnas graderis regina per artes

Diuini eloquij doctrix, cultusq̄ magistra

Ætherij, huc sacra conferta impelle Mineruæ

Agmina, dispersas olim reddenda per urbes.

Tuq̄, ò clara Themis, seu vis Astræa vocari,

Bis senis fulgens tabulis, huc collige magnam

Ad leges & iura manum. Nec tu minus almæ

Naturæ, herbarumq̄ potēs & prime medendi

Phæbe pater, crebrâ Catuaci ad mœnia pubem

Arte Machaoniâ cupidam pulsare propinquos

Morborum mortisq̄ gradus, vitamq̄ seniles

Fortibus innixam neruis protēdere in annos

Contrahe, & oblitam patriæ retine illice leto.

Nec non argutæ Dea sis quæcunq̄ Sophiæ,

Clauigera omnigenûm Duxq̄ optima doctri-

narum,

Huc tu Philosophos, huc undiq̄ & undiq̄ue

spissos

Coge

Coge Duacena sub acuta Lycea palaestra.
 Deniq³ Musarum vos cetera dulcisonarum
 Nomina, quæ terras, quæ sidera, quæ vaga
 ponti
 Equora, quæ stygias scitis cantare paludes,
 Huc accite virum, iuuenum, puerum agmina
 mille,
 Quæ Catuaccnas densentq³ ornentq³ plateas,
 Nulla fuit toto ut Musis Academia mundo
 Vel numero par innumero, vel acumine
 compar,
 Anteuē (quæ voti summa est) pietate ferēda;
 Ne sperate leues vota hæc vanescere in auras.
 Nā quos eximio celebraſtis honore patronos,
 Credite, promittunt speratam Martyr uterq³
 Pronus opem, iam iamq³ illos accingier ultro
 Intuor auxilijs, facilesq³ ostendere dextras.
 Quas precor euentu, quoties læua ingruet
 hora,
 Tristior aut casus, morbūe, malūe, necisue,
 Quæ Superi auertant, vos explorare secundo.

Pro

Pro admodū Venerandis huius vr-
bis Canonicis, cæterisq; ordinis
Ecclesiastici viris Religio-
sissimis.

V O T V M T E R T I V M.



*ORDINIS in primi proceres, sa-
crisq; dicatas
Officijs turmas, & relligiosapiorum
Agmina nunc conuerto stylum, nunc dirigo
vota.*

*Huc oculos, Christi ô pugiles, huc flectite
gressus,*

Et faciles aquis reserate precatibus aures.

*Tota cohors celsas ad Amati quæ excubat ædes
Laudibus inuigilans Diuûm, & quos optima
vita*

*Regula legisero Canonum de nomine signat,
Longè pignoribus sese tulit obuia vestris,
Subiecitq; humeros, & in hospita tēpla suorū
Indigetū, (namq; hic celo peramatus Amatus*

O

Mau-

Maurontusq; comes caro retinere parant
 Hospitio) festis deportauere triumphis.

Quanta ô latitiæ seges, & quæ copia gaudij
 Innētis cælo animis, terrâ quoq; iuncta tueri
 Corpora, tot spatij & tot distantia seclis
 Hactenus? O dextras, ô suauia, carmina,
 plausus.

Vos & Apostolici colitis qui culminis ædem
 Magni templa Petri, atque animis concor-
 dibus vnum

Cordi immerstis summū celebrare Tonātem
 Assiduis mistim, votis, prece, cātibus, hymno,
 Vos quoq;, vos pugilū Christi cimelia pulcra
 Gratanti complexa sinu, atq; imposta paratis
 Lati humeris, vestras plaudentibus vndiq;
 turbis

Magnifico instructas cultu statuistis ad aras.
 Quid loquar & lōgo incedētes ordine Patres,
 Religiosus habet vitæ quos ritus egenæ
 Omnium, & Iesum præter nullius auaræ!
 Seu quos Seraphici pater ordinis edidit ardēs
 Numine Franciscus, seu quos sol inclitus
 orbis

Dominicus cælo fulgentia protulit astra.
 Seu quos prima Trias proprio dignata vocatu
 Chri-

Christiadis scripsit redimendis ære repenso
 Barbaricâ de gēte virûm, rigidisq; numellis?
 Seu quos vera dedit mundo Salamandra te-
 penti

Ignibus in medijs agitans Ignatius æuum.

Hi vestra, ô gemini pugiles, ad corpora cultu
 Tam niueo mentis, quàm simplice vestis
 ierunt.

Hos fixi petière oculi, hos mirata fuerunt
 Agmina cursantum. Nam pulcra Mode-
 stia castis

Frontibus insculpta gressusq; oculosq; regebat.

Ergo agite in cunctos pia largâ spargite vestra

Dona manu, seu quos occurrere misit Amatus

Maurontusq; pater, celsi duoluminatempli.

Seu quos vis Petri contra diffudit abire

Pignora consortum, seu quos restrictior æui

Ordo, vlnis propius cari constrinxit Iesu.

Quæis date, vt exemplis plebem meliori-
 bus, altas

Spretis terrarum salebris & crimine prauo

Condoceant superare vias, nec culmine frangi

Vertice in excelso positæ Virtutis: amari

Si quid erit, poterit studio Virtutis amari.

Cuius, & auxilijs Superû, & conamine magno

Mellifluum in gustum totus desciscet amaror.

Ac si fortè sacri flammæ restinguere amoris,

Ille Malus technis armatus & arte dolosâ

Tentet, & insidijs animam deducere recto

Tramite, discincti concurrite, & omnia retrò

Vertite cocyti gelidarum flumina aquarum

In capita atra stygis, falsæq; obliuia lethes.

Quin magis atque magis facite exardescat,

opimo

Arida silua solet succendi ut pinguis oliuo.

Et quibus est potior Christi Crux, diuite

gemma;

Paupertas auro; candentia lilia, cunctis

Delicijs; tumidoq; animo, parère parata

Mens humilis: semper vobis hæc propria

sunto,

Et meritis crescant ingentibus. Hæc mea

vota.

Si nihil immeritum posco, subscribite Diui.

Pro

Pro Amplissimo Magistratu, Sa-
pientissimo Consilio, pien-
tissimis Ciuibus.

VOTVM QVARTVM.



*OS quoque, vos nostris animus com-
prenderere votis,*

*Ductores populi & sanctæ quater in-
clita gentis*

*Lumina, qui certo Catuacam cælitus urbem
Ducitis arbitrio, neque prisca exempla secuti
Maiorum, (quæ posteritas mirata reliquit
Degener, & crebrò vicijs præcellere magnis
Prætulit) at longis vos omnia passibus ante
Virtutis monimenta piæ, famamq; vetustam
Curratis, & nihil hæc, vestri quæ egere
priors,*

*(Magnalicer, multisq; olim laudata tabellis)
Tantis præ meritis, celsâ quæ mente pa-
trando,*

*Nobile longinquas volitare dedistis in oras
Nomen, & aeterno sculpi viuaciùs ære,*

O. 3

Men

*Mentibus in Superum, tanto quos nuper
honore*

*Auctos, eximij cumulastis iure triumphi.
Nam portis effusa suis tota agmina, contra
Diuum reliquias, & pignora sacra, paratu
Regisico venere procul iuenumq, virumq,
Tam votis cuncti paribus, quam dispare cultu
Armoru, licet vna foret frons iugis amorum.
Qui siue apprimerent sacris prona oscula
thenfis,*

*Seu per terricre po volitantibus aethere flammis,
Mugitu exciperent; mugitus & oscula grati
Sanctorum aduentus clarissima signa fuerunt.
Vera loquor. Rapidis urebant ignibus altas
Ossibus in medijs calido sub corde medullas
Ista Duacenis subeuntia pignora portis.
Quippe vrbe in media sedem fixura fidelem
Auxilium indigenis, nullisq, solubile robur
Viribus aut bellis. Nam si fors hostica muros
Vis premat, hostiles incurret machina turmas
Sponte sua. Dedit vna adeo iam exempla fu-
turi.*

*Inductis nam corporibus sub mœnia, & aras
Thuricremas superimpositis, cum iam agmine
longo*

Turba

*Turba frequens & amica suam penetraret
in urbem:*

*Ecce tibi è muris dispostæ ex ordine cambra,
Cambra appellat tormenta minora, tumentis
Ventre quidem, verùm ore breui, nec gut-
ture longo,*

*Pulueribus quas ignigenis cum stipite duri
Roboris (id tonitru simul est & missile telum)
Posteaquam explerint, satiatas mole nigranti
Iam terra infodiunt, & vix spiracula flammis
Indulgent, tantumq; cauis è sedibus extant
Ore tenus, quâ parte fero prorumpere ferro
Flamma tela solent vastosq; cedere fragores.
Vna igitur terrâ nimium defossa grauante,
Ignibus acceptis calidâ indignata cauernam,
Nec grauidam, spacij intercludētibus, aluum
Exonerare potis, magno ocius impete terris
Vndiq; disruptis, nullâ (mirabile dictu)
Cum noxâ humanâ, nullo cū fragmine ferri
Se tulit in tenuē leuis aëra, & eminus ipsam
Extra urbem, fossasq; urbis, stagnantis aquaë
Alueolo cinctas duplici, suspensa volauit
Incolumis. Casusne fuit? nū terror? an error?
Terror & error erat, mirusq; in tempore
casus,*

O 4

Quem

Quem Superos rexisse reat, ne damna crearet
 Tristia, & inceptos fœdaret vulnere cultus
 Latitiæ undantis, neue in se obuerteret ora
 Supplicis ad cassas populi, turbasq; cieret
 Insolito fremitu, vel festâ incongrua luce
 Murmura, dulcisonos interurbantia cantus.
 Tormentis sed enim præsentior omnibus una
 Dextera Martyrij, victricibus inclyta palmis,
 Polleat aduersas perumpere cade phalangas,
 Ac totas turbare acies, si postulet usus.
 Nam vos ô ciues pleni virtutis auitæ
 Plusq; ab auis & auis pietatis nomine clari,
 Quanta horum virtus validis assurgat in ar-
 mis,

Scitis, & ipsa negât nescire theatra, columna,
 Porta, arcus, titulis erectæ insignibus aræ,
 Hinc atque hinc viridesq; viæ, immensiq;
 paratus

Vicorum. ô libros, si scribere cuncta laborem,
 Et quæ intra muros, & quæ sub mœnibus
 urbis

Gesta foris, congesta domi. Sed vota vagantem
 Ponè trahunt promissa. Quid ô producere tantis
 Eualeam aut sudè meritis? Vos omnia & omni
 Quo mens, quo virtus potuit, sparsistis amore
 Instru-


*Instrumēta piā in Sanctos testātia mentem.
Hæc propter, Superos votis obtestor & opto,
Cunēta ut fortunent latis successibus, & quæ
Publica consilijs, & quæ priuata, geretis.*

*Quæq; fides vestro fixit sub pectore regnum,
Non alias malit sedes, aliosue recessus
Quos colat, aut culpis vicij sue fugata reuisat,
Quam quæ struxistis spaciosa sedilia vestris
Cordibus. Aternū hic sedeat, geminasq; sorores
Conciliet, seu quæ longè proiectat acutos
Spes oculos, semper seclis intenta futuris:
Seu quæ spernit humum, & pernicibus ardua
pennis*

*Astrarapit, Diui bona flamma cupidinis, illi
Nil durum, nil triste, nihil vitabile quod sit
Noxã extra, noxæq; graues, incendia, partus,
Monstrifica, æternis non absumenda diebus.
Vrbibus hæc vestris habitet trias, & pede
presso*

*Inclita nobilium virtutum examina stipent.
Ac si forte aliquis belli grauis horror in urbē
Ingruat, inuictō in portis stet Marte TERENCE-
ANVS, & hostiles socio cum martyre turmas
Terreat atq; terat, victoq; hic ab hoste reportet,
Quod terra ignorat, norūt quod sidera, nomen.*

Pro



Pro Illustri & S S. Martyribus
deuotâ nobilitate.

VOTVM QVINTVM.



NOBILITAS generosa animis, &
vertice celsa

Semper honorati capitis, quæ stem-
mate prisco

*Antiquæ stirpis, longâq; ab origine ductæ
Gaudet, & inspectis proavis in imagine fuscâ
Ad magnum virtutis opus se suscitât, ignesq;
Haurit visceribus, totisq; infusa medullis,
Rerum argumêto gestarum, incendia nutrit,
Hæc (ut fama volans zephyri pernicius alis
Distulit in terras, geminarum in sorte beaiâ
Diuum martigenis Atrebe & à finibus urbis
Aduentare sacros cineres, cultuq; verenda
Ossa pientisco) mox sese accingere, & euro
Protinus atq; mari reliquas dispellere curas:
Vnum pro cunctis studiû, labor vnicus, amplo
Pignoribus sacris occurrere pignore mentis
Corq; animuq; vrit, stimulisq; incedit auitis.*

No. 1

Nobilis ipsa tuæ vidisti Artesia gentis
 Summum Ductorē, celeris cum flore iuuenta,
 Relliquias circum, auratis equitare caballis.
 Vidisti sacris nunc sese admittere capsis,
 Nunc volitare leui per rura patentia cursu,
 Nunc ab equis in humum se præpete mit-
 tere saltu,

Et vale Calitibus blando ore & poplite flexo
 Dicere, quos alacres præclari gloria facti
 Abstulit, & Superis promisit confore cordi.
 Quid Catuacena referā decora alta caterua?
 Viciniq; soli proceres, & nomina magna?
 Qui procul exuuijs venientibus asiluerunt,
 Quàm genibus pronis, animi tam fronte mo-
 destâ.

Quos sacra Relligio, patrum regina suorum
 Edocuit ritusq; pios, mentemq; benignam.
 Nam cæpo in medio venerati corpora Diuūm,
 Appressere sacris pia cominus oscula cistis.
 Quæ fausta hic pleno diffundam pectore vota
 Hos in magnates, & splendida lumina gentis,
 Seu quæ Carpus alit Catuaci corniger amnis,
 Martia seu forti quæ Artesia robore laudat?
 Verum agite & nostris Proceres intendite
 votis.

Meis

Mentibus illabi primū precor optima vestris
 Consilia, & magno spes numine cœlitus ortas,
 Sperato euentu & latâ efflorescere laudum
 Materie, cui sidereis cincta vndiq̃ flammis
 Fœta Deo pietas, cali argumenta merendi
 Aggeret, atque nouis noua subdat premia
 palmis,

Primaq̃ præcipua fundamina nobilitatis
 Suadeat in solidâ mentis virtute locari.

Hæc voueo. Inde graues quia iam Bellona tu-
 multus

Horrifono ære ciens, rapidis circūvolat armis,
 Gestare impavidū, forte, impenetrabile ferro
 Pectus, & inuictō certantia brachia Marti
 Apprecor. Armet equum, si pugna incurrat
 equestris,

Armiger ille poli, solâ qui millia nocte
 Mille virū strauit vastissima corpora letho.
 Consolidetq̃ pedes, vocitet siturma pedestris,
 Agminis ætherei ductor, cui nulla resistit
 Nec vis, nec gladius, nec sæui ferrea belli
 Puluere tartareo & rapidis super incita flâmis
 Machina, quæ tenui illius promptissima nutu
 Dissiliet, propriasq̃ suâ sub strage cohortes
 Inuoluet quouis æquans cū fragmine vulnus.

Quin

*Quin ambos etiã, quibus oscula pura tulistis,
Si discrimen erit, pugiles in vota vocate.*

*Hoc signo Deus ipse aderit, martyricè vo-
catus*

*Ille vel ille, suis implens inimica ruinis
Castra, & victrices placito pro munere
lauros*

*Cælesti apportans festo cum carmine dextrâ.
Hæc pro Nobilibus votorum summa meorum
Signate auxilijs, ò calica pignora, vestris.*



Pro Sedulis ac laboriosis in SS. Mar-
tyrum obsequio Matronis.

VOTVM SEXTVM.



*EC vos prætereat merita pars de-
bita laudis,*

*Matronæ, studioq; pares & mune-
re largæ:*

Quas nox sollicitas tenuit, lux prima laborũ

Plenas accepit, cuncti obstupere superni,

*Quos aurora præit, quos ducit vespereus,
ignes,*

Ista

Istâ nocturnas, illo mirante diurnas
 Officijs raptis operas, operumq; labores
 Tempore inabruptos. Alia contexere telas
 Prætenues; telis alia subtexere. stellas:
 Quædam frõdosas vicis communibus umbras
 Hinc, inde, innubi quamuis obducere celo:
 Nonnullæ natis preciosos frontis honores
 Solerti curâ & diuina Palladis arte
 Digerere, & dignos pro schemate fingere
 vultus

Pierio: quædam Diuûm curare tabellas,
 Fulgentiq; habitu statuas aptare, tapetesq;
 Omnigenos & acu pictos & vincta ferentes
 Formidanda tibi varijs animalia formis,
 Ingenij certa & precij certamina, nemo
 Dicere quæ valeat, valeant plus pondere an
 arte.

Parua loquor, nec magna rudis stilius accipit.
 Euge,

Si plus vota valent: quid fundere vota mo-
 ramur?

Hæc agedû (nam sponte fluunt) hæc accipe vota,
 Dux quæcunq; cluis pulcri pia femina facti
 Sacra sti Diuis operas vt naua fideles:
 Sic Diui referant condigna fidelibus orsis

Præ-

Præmia, nèue sinant ullâ formidine tangi
 Fortuna, cui vana rotam fabella creauit,
 Effinxitq; Deam, nunc fronte fauentis amicâ,
 Nunc tristi auersa, iam largâ munera dextrâ
 Spargētis, iam sparsa manu repetentis auarâ.
 Vna sed vna tuos conducito regia sensus
 Relligio, Dominiq; timor, cæliq; cupido.
 Nam te Relligio maternâ calitus aluo
 Iam natam excepitq; sinu, fouitq; medullis,
 Tuq; illâ pariterq; Deum pariterq; beatos
 Cæpisti astricolos fidâ coluisse magistrâ:
 Atque colas, precor, æternum, augefcaſque
 colendo.

Sic te diuinus cum sospite numine cunctis
 Ereptamq; malis Timor ereptamq; periclis
 Seruet, & aut viduam sponſo cõiungat IESV,
 Aut bene cõcordi cum coniuge iure maritam
 Exigere inſtabiles aui det labilis annos
 Actua sic species florentia ditis adornet
 Tecta domus, folijs vt colles vitis opacis
 Vmbrifera, & grauidis turgescēs latior vuis
 Vēſtit, ad æſtinos quæ respicit ardua soles.
 Et festam prolem, & festa felicia prolis
 Pignora, sobriolam circumſistentia mensam,
 Instar odorifera respectes lata nouella,

Quæ

*Quæ virides ramos, quæ spes præcendit,
oliva.*

*Sic & amor cæli luteos conculcet amores,
Vel quos terra parit fuluo insidiosa colore,
Vel quos blandidulis dæmō armauerit hamis,
Sicque uni placeas post Christum casta ma-
rito,*

*Sicque pari castus placeat tibi lege maritus,
Turtur ut ille tibi, sis tu quoque turtur ut
illi,*

*Alterius nunquam nec tu studiosa, nec ille.
Sed quem liuentis diuortia tristia lethi
Solum destituent, solus Crucis alta capessat
Culmina, & aërcâ ut turtur gemebundus ab
ulmo,*

*Defeat abreptos, alios neu querat, amores.
Sic quoties sanctas purâ venerabere mente
Exuias, pugilesq; sacros in vota vocabis
Sanguinis illustri testatos numina letho,
Fæcundam toties meritis atque ubere fructu
Excipiant hilari redeuntem fronte penates.*

Pro

Pro nobilibus alijsq; industrijs in
deuoto SS. Martyribus ornatu
atque cultu Virginibus.

VOTVM SEPTIMVM.

VIRGINITAS, terræq; decus,
caliq; propago
Angelicis cognata choris, rubicun-
da modesto

Semper in ore ferens rosei monimenta pu-
doris,

Huc ades, & quamuis horrescere publica no-
rim

Compita, & in solis præferre recessibus uni,
Omnibus antistat qui regibus, omnia sponso

Verba, aures, sensus, & quidquid restat, IESV
Iungere, qui puris solet oscula figere labris,

Oscula mellifluo plus dulce-fragrantia nardo:
Tu tamen in nostro prodi haud inuita libello.

Nil habet ille salis, nil fert mordentis aceti,
Admittit nullum, fugias quod territa, ver-

bum.

P

Solet

Solus profertur, solus q̄ auditur IESVS,
 Vel martyr sanctus, vel quisquis amicus IESV,
 Seu cuius pietate flagrans, seu femina celsæ
 Cognita virtuti. Tales ne sperne propinquos.
 Nā pius ille pater, tuus est: hæc sedula mater.
 Quos ego præposui nostris præscribere votis,
 Quod iuuet, & sponso placeat, coluisse parētes.
 Ergo ades in commune bonū, communia vota.
 Ac si forte Pudor sancto concertet Amori;
 Vicerit ille aliàs, sed nunc concedat Amori.
 Nam tum etiam cessit, domibus cūm publica
 vestris

In loca progressæ, Diuūm st̄uduiſtis honori,
 Ornastiſq̄, sacras totis conatibus aras.
 Nam minor officio fiterat famularis opella:
 Virgineo fuit ingenio, curâq̄ sagaci
 Vſus, & exertas operas laus vera probauit.
 Accipio noctes vos inuigilasse serenas
 Martyribus, quos fortè thoro dimisit ab alto
 Inclitus ille opifex rerum, solamina menti
 Blanda laboriferæ, tacitiſq̄, ſedentia linguis
 Nomina, & inuicta refouentia lucis ocellos
 Lumina, dadalijs necnon noua robor adextris.
 Verūm age, quæ tantos propter, dem vota, la-
 bores?

Quid.

Quid precer, aut optem? quæ munera, præ-
mia, dotes?

Ingenij aut animi? Placet annulus aethere
missus?

Annulus aeterno firmans connubia regi?

Ecce, aperite sinus, delabitur, inter habete

Vbera, fasciculum ut myrrha, & bene olentis
amomi:

Servate hunc memores pacti, memoresq; tuædæ

Tali cum sponso, studijs ardentibus, arrhæ.

Neu mala surrepat quandoque, nec huius &
huius

Incauto adspectu fallacis imago figura,

Angustis quærens adytis in pectora lata

Moliriq; viam, totasq; exesse medullas.

Huc gestare Crucis fretam signamine bullam

Proderit, & pranos vigilaci extrudere motus

Luce poli, atque vagos Cruce circumcidere

sensus.

Rara senum, nulla in iuvenū spectabere cætu,

Affatusq; virūm pavitantis more columbæ,

Vncos accipitris quæ vix euaserit unguis,

Virgo tuæ diuina sequens exempla Mariæ,

Diffugies. Nam vana hominum quid verba

requirat

Alloquio dignata Dei, dignata piorum
 Calituum, fido virtutum interprete mystâ?
 Tantū, si quid ages, si quid meditabere, si quid
 Composito volues animo, tecumq̄ reuolues,
 Hoc te teste Deo, cunctisq̄ tuentibus astris
 Cognati generis, meditari & voluere credas.
 Nee corriualem tanto committere sponso
 Aut indigna tuo audebis patrare monili.
 Quod si plura petis de diuite muneraculo,
 Flammeus ecce tibi caelestibus accidit oris,
 Quo non ille magis, quem spectas, flammeus
 ignis.

Excipe. Nam tenui hoc oculos velabis & ora
 Stamine, quo tectam dius tamen ille maritus
 Inspiciet totā, media ad penetralia, formam,
 Et formae decus, & tota ornamenta latentis
 Interiūs miro cum animi splendore, decoris.
 Quamlibet externus, quod suffuretur, ocellus
 Flammeolū hunc cōtra cali de stamine textum
 Nil habeat, flammās praefer Phlegethontis &
 vndas.

Euge his ō virgo florentibus aurea donis,
 Quaecunq̄ impensos ad lipsana sacra labores
 In tacito gaudes gremio, vellesq̄ perenni
 Longiūs insudasse operā, Superisq̄ tulisse


{Non

*Non semel atque iterum, sed fessos sæpius
artus.*

*Tete illi caram teneant, cunctosq; per annos
Incolumẽ, & magno nisu super alta volantem
Sidera, captantemq; pios totâ aure susurros
Aurâ promoueant leuis aspirante fauoni.*

*Hæc ego Virginibus, (quarum tam gratia
mundo*

*Rara micat, quàm cara Deo, quã grata Beatiss)
Æqua precor, precibus, Diuûm quis deroget,
æquis?*



Pro Studijs addictâ & S S. Martyri-
bus operatâ iuuentute.

VOTVM OCTAVVM.



IVIS Martyribus, pia quos Priscilla refossis

*Eductos specubus Catuacam misit ad
urbem,*

*Omnis sudavit sexus, cuncta institit ætas,
Quilibet ordo virû, vitæ status omnis, & aui
Corditio incubuit, permistus diuitem pauper.*

Nobilis obscuro, grandi plebs parua Senatu,
 Matrona q̄ graui socialis in agmine virgo.
 Cetera dicta cohors: superat lectissima pubes
 Florentum studijs animi, viridisq̄ iuuenta
 Robore, quos stimulis sua concijt inclita
 virtus,

Nobilis ad clarum specimen pietatis, & alios
 Indolis ingenua, Superis plaudentibus, actus.
 Hi sibi sumpserunt (nam laus est parua, ro-
 garunt)

Celso Parnassi totas de vertice Musas
 Sanctorum in laudes pugilum, structosque
 triumphos,

Blandifono, licet inuitas, deducere cantu.
 Pinxerunt alij totos epigrammate vicos
 Omnigeno: hic varijs emblemata coloribus: illic
 Ingenij, logogriphus erat, tentamen acuti.
 Oda alibi suaves, alibi incedentia passu
 Heroo, atq̄ humiles spernentia carmina soccos.
 Quin etiam iuuenes sacri certamen honoris
 Egregium incesit, melius quae natio Diuos
 Inuento ingenij coleret, scenâ, arte, theatro,
 Turre, arcu, portis. Quidam haec, quidam
 illa nitenti,

Vt pote quisque fuit, conuestiuere paratu.

Infulidæ æriam tigno quadruplicem molem
 Impensis posuere suis, multoque tapetum
 Quos inter stellæ, commixtaque candida stellis
 Lilia fulgebant, textu instruxere superbo.
 Illic cornicines, hic musica turba sonabat:
 Istic ipsa suis se Lilla insignibus urbis
 Deuotam Diuis venientibus ostentabat,
 Ornatu, gestu, affectu, prece, carmine, voto.
 Iam parte ex alia sacra vicinius ædi,
 Quo sacra vectabant humeris sua pignora Pa-
 tres,
 Lucus erat. Densas nam natio Ibernica frondes
 Traxerat huc, modulisque suis, vatum Orphea
 vatem
 Iusserat edoctæ pleetro testudinis aureo,
 Auritis similes, huc se conuertere & illuc,
 Atque suos Sanctis inflexo vertice ramos
 Plaudentum in morem, dictataque metra se-
 quentum,
 Calitus afflatus numeris se obducere certis,
 Et Christi Athletam, signato ostendere libro.
 Necnon ipsa suas Eburonica Legia partes
 Semper amans recti & celis deuota peregit.
 Nam lapides etiam immanes, præruptaque saxa
 In numerum & titulum suauis dulcedine cantus

Latiùs ancillans Superis testudo cœgit.
Nam dum alios alij numeroso carmine sese
Subsultim lapides inscripti nomina Diuùm
Ascensu superinijciunt, inscriptio DIVO
(Ménsne fuit saxis non saxeis?) rite TERENTI-
ANO, promicuit: capiunt nec carmina finem,
Donec & ipsa suum supra assilijssè Peronem
Legia suscepit, murorum insigne suorum.
Namq; Crucem sanctam, summæ fastigia pile
Celsa superstentem, pulcrum urbis stemma
fidelis,

Legia & patriâ dixerunt voce Peronem.
Plura huius generis pietas excludere maior
Sollicitat, suadetq; pias expendere mentes
Ardentis zelo & studio feruente cateruæ.
Pars etenim rata desidiâ pro mœnibus urbis,
Expectare novos ultrò deuota patronos,
Erumpit portis, primâ hæc, mediâ altera luce
Diuisq; occurrit binis iam distita leucis
Urbe procul; sonipes, mora ne foret vlla, fe-
rebat.

Ardua quin alios Atreba & mœnia porta
Se vidisse ferunt, menso vix sole quaternas
(Nec ratio fallit) spaciij reuolubilis horas,
Accelerare viâ, atq; urbi se immittere aperta,

Relli-

Reliquias illic celeri praevertere cultu
 Praecipuos, sociasq; inter comitarias urbes,
 Qui Catuacena reduces ad propria terra,
 Protinus illuxere faces, atque ore sereno
 A portâ ad Diui socia expectantis Amati
 Corpora, & hospitio noctis sibi iungere laeti,
 Deduxere choros, pulchra pars fulgida pompa.
 His ego quid meritis compar, quid lemmate
 dignum

Eualeam tanto, sparsis expromere votis?
 Optemus Diuos clari prae pandere lumen
 Ingenij, & cursu optatas pia corda per artes
 Ducere inoffenso, rectisq; à fronte monere
 Consilijs, serum importent ne facta pudorem.
 Purpurei hoc agite, ô Diui, pulcroq; rubentes
 Fortiter effuso per vulnera saeva cruore,
 Hoc agite, & caram pubem vestrisq; dicatam
 Obsequijs, stipate bono validi aggere muri,
 Daemonis insultus contra, annosq; dolosa
 Insidias vulpis, teneram depascere vitem
 Noctes atque dies peracuto dente frementis.
 Dat signum, ô iuuenes, sublimi martyr uterque
 De solio: iam vos linguisq; animisq; fauete,
 Atq; avidis proni bibite auribus aurea dicta.
 Nam quâ curratis virides feliciter annos,
 Expe-

*Expedient textu facili, quæ gratia Diuûm.
Surgere puniceo properat dum aurora cubili,
Occupet exortû atque noui primordia Phæbi
Mens hilaris, somnosque procul protrudat
inertes,*

*Vinciri strato indocilis, nec conscia vinci.
Prima sed in Christum & Superos vibrare
memento*

*Sensa animi, ac grates placida pro munere
noctis*

*Pendere, & obsequio summi promittere regis
Quàm lucis florem, tam labilis acta diei
Omnia, cura vigil subeat, mentemque flagellet.
Resque dehinc dispone tuas, rerumque catenam.
Inceptis Deus, ipse Deus sese ingeret & quas.
Dixerat. Attētas voxque altera perculit aures.
Hæc Socij, nisi fallor, erat, sociosque monebat,
Quos inter, studij & lusus consortia fidâ
Pacta manu: quæ verò iterumque iterumque
monebat,*

*Ist hæc summa fuit: Socijs obe utere rectis
Atque probis, rectus quisquis cupis, esse pro-
busque.*

*Nam facilis morum scabies se didere totum
In sociale agmen, cunctisque adscribere se ui*

Turpis

Turpibus alloquijs contagia pessima morbi.
 Ille tibi placeat, qui parca & casta loquatur,
 Quæque loquatur, agat: verbi nec acumine
 falsi
 Gestiat, & fratrem malit, quàm perdere di-
 ctum.

Ille tibi placeat, cuius posuere medullis
 In penitis solium geminaeque piæque sorores,
 Pulcra Pudicitia & vultu peramæna decoro
 Sobrietas. Nam Musæ illis famularier orant,
 Nec dominae alterius patiuntur regna pro-
 terua,

Non, si delicias, non, si vel mellea promat
 Pocula nectareo prædulciter ebria succo.
 Liquitur his vigor ingenij, refringitur illis.
 Castifico contra melior meliorque pudore
 Redditur, & parco socialis munere mensæ
 Crescit in immensum vis indolis, ingenijque:
 Seu iuuet in sensus altum penetrare retru-
 sos,

Seu memori placeat collecta recondere mente
 Dicta virum, plenoque gradu per tota va-
 gari

Scrinia doctrinae leuis, aut mysteria sacra.
 Delicias igitur molles & blanda venena

Mit-

236 TRIVMP. SAC. SS. TER. ET SOC. MM.
*Mittite marmoribus ludibria, mittite ventis
Et tenui victu & puris adamate lacertis
Sancto caligena virtutis amore potiri.
His Diuum monitis, precor, o lectissima pubes,
Propensis parete animis & viuite læti.*

F I N I S.


Ad Maiorem Dei Opt. Max. &
SS. MM. Gloriam.


Scripsit J. J. Paderb.


Errata sic corrigenda.


Pag. 8. cupastis, l. occupastis. pag. 40. post Christianum,
omissa est hæc lineâ: primum, inquam, non ordine tem-
poris, sed feruore pietatis, pag. 41. æterna, l. terna, p. 129.
angustus, l. augustus. p. 132. suffragis. l. suffragijs. p. 140,
vr, l. vt, p. 147. mul. dele. certati, l. certatim. mimmitte-
bant. l. immittebant, p. 173. cantotes, l. cantores. p. 193.
S. Augustinus & , tolle , & , ac transfer post. Cypriano.


P R E











2

Thriun-
phus SS.
Martyru
buacen-
sium.

Th

2499